FONTES
RERUM POLONICARUM

E TABULARIO REIPUBLICAE VENETAE

EXHAUSIT, COLLEGIT, EDIDIT,

NONNULLISQUE ADNOTATIONIBUS POLONICIS MUNIIT

Dr. AUGUSTUS Comes CIESZKOWSKI

ACADEMIAE REGIAE CRACOVIENSIS etc. SOCIUS,
SOCIETATIS LITERARIAE POSNANIENSIS PRAESES.



SERIES Ia. FASCICULUS SECUNDUS.

(ACTA VLADISLAO JAGELLONIDE REGNANTE.)



POSNANIAE.
TYPIS OFFICINAE DZIENNIK POZNAŃSKI.
1890.

I.

MCCCCXI. die XVIII. Aprilis.

Cum nobilis vir ser Zanachius Quirino civis noster, nuper redierit de partibus Polanie, et retulerit nostro dominio pro parte domini Regis Polanie, quod dictus dominus Rex, eidem ser Zanachio commiserat, quod amicabiliter et fraterne, deberet Serenissimum dominum ducem salutare, et similiter alios nobiles de consilio eius parte, et dicere quod sentiebat, quod propter divisiones existentes inter dominum Regem Hungarie, et nostrum dominium, dictus dominus Rex Hungarie, erat inimicus noster, et erat similiter inimicus suus, propter divisiones inter eos existentes. Et propter hoc deberet dicere nostro dominio, quod dictus Rex Polanie erat paratus et sic se offerebat, esse cum nostro dominio, contra dominum Regem Hungarie predictum sive per viam lige, sive per quamcumque aliam viam, que nostro dominio placeret, quia dispositio sua erat, faciendi res que essent grate et accepte nostro dominio, cūm multis bonis et amicabilibus verbis. Et consideratis terminis et conditionibus, in quibus se reperit ad presens, nostra dominatio, cum domino Rege Hungarie, verba dicti domini regis Polanie, non sunt renuenda, nec postponenda, ymo super eis, est habenda bona advertentia et consideratio. Et ad presens habeamus in dictis partibus personam fidam et prudentem, cui confidenter possunt nostra negotia comitti, videlicet ser Petrum Bicharano. Vadit pars quod per illam viam secretam que videbitur dominio, scribi debeat dicto ser Petro Bichareno, quod nostra dominatio, per nobilem virum ser Zanachium

Quirino nuper redeuntem de partibus Polanie, fuit informata, de bona et optima dispositione Serenissimi domini Regis Polanie, ad commoda et honores nostros, sicut idem ser Zanachius retulit. Et quod propterea debeat comparere ad presentiam dicti domini Regis, et sue Serenitati dicere, quod salutationes et oblationes nobis portatas ex parte sue Serenitatis per dictum ser Zanachium, acceptavimus et acceptamus bono et fraterno animo, tamquam a bono fratre et amico nostri dominii. Et eidem parte nostra, similes salutationes et oblationes, dicto domino Regi facere debeat offerendo nostram dominationem, amicabiliter et fraterne esse dispositam, ad omnia concernentia honorem et statum sue Serenitatis, tamquam pro fratre et amico nostro carissimo. Et cum his et aliis bonis verbis, que sue discretioni videbuntur, ostendat et declaret dicto domino Regi, istam nostram intentionem. Et ulterius, nec ad alia verba procedat, in casu quo secuuta sit pax inter dictum dominum Regem Polanie, et dominum Regem Hungarie. Si vero secuuta non esset pax, inter Reges predictos, debeat dictus ser Petrus subiungere, quod per dictum ser Zanachium fuimus informati de voluntate et intentione dicti domini Regis Polanie de volendo esse nobiscum, vel per viam lige vel per aliam viam, contra dictum Regem Hungarie. Et quia dictus dominus Rex, non declaravit ulterius suam intentionem, nostra dominatio, in casu quo Sue Serenitati placeat, esset contenta scire modum et formam lige quam vellet facere nobiscum, vel que alie vie Serenitati sue viderentur utiles et fructuose ad istam intentionem, et ad damnificandum dictum dominum Regem. Et quicquid dictus ser Petrus sentiet a dicto domino Rege, debeat presto per bonam et sufficientem viam nostro dominio denotare, que verba, sicut superius tangimus nullo modo dicere debeat, in casu quo pax secuuta sit, inter reges predictos.

De parte 81.
Non 4.
Non sinceri 1.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 4, carte 166 t°.)



II.

MCCCCXI. die XXIIII. Septembris.

Quod scribatur Petro Bicharano civi nostro, in hac forma videlicet.

Petre civis noster. Como ala toa fedeltade he manifesto, per altre nostre letere, dade adi. XVIII. de Avril passado, nui tre scrivessemo quelo che ne parse in quela fiada, a conmeterte, che tu dovesi per nostra parte dir al Serenissimo Re de Polana. Mo per questa nu volemo, e cossi te commandemo, che per nostra parte, tu diebi conparer a la presentia del dicto Serenissimo Re, e a quello dir, che per la vegnuda di suo ambaxadori i qual fo a Veniexia e de andadi a corte de Roma, nui fossemo informadi dela bona intention e voluntade dela soa regal maiestade, verso dela nostra Signoria, dela qual ala soa maiestade per nostra parte diebi referir abundevele grazie e dirli che la soa maiestade sempre in tute cosse, a nu possibele, ne trouera como so boni e perfecti amixi desposti, e per lamor el qual nui portemo a la soa regal maiestade, semo desposti notificarli quelo, che nu sentimo, azo che la soa regal Excellentia informada possa proveder al stado so. E perho diebi notificar ala maiestade soa che per quello che nui sentimo, el Re Sigismondo de Hungaria, per la elition de lui fata del imperio he disposto de vegnir a tuor la corona, e se questo occorresse nui vedemo, che habiando el dicto Re Sigismondo la soa intention, poi el procureria el danno e senestro dela soa regal maiestade, chomo de i altri, chel dicto Re Sigismondo reputa so inimixi. E azo chel dicto Re Sigismondo non habia la soa intention de haver la dicta corona per nostra parte diebi confortar el dicto Serenissimo Re de Polana, chel voia impazar el dicto Re Sigismondo, chel non possa vegnir zoxo, ni andar a tuor la corona predicta, e in questo voler far el so poder perche simelmente nu dala parte nostra, cum tuti nostri amixi provederemo, e ovieremo, che mai el no descendera, ne pora descender. Se la soa maiestade, dala soa parte el vora impazar, como mezando la soa gran possanza el pora far. E quello che tu havera dal dicto signor Re, sovra

de questo si solicito per to letere farlo manifesto ala nostra signoria.

De parte 61.
De non 9.
Non sinceri 7.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 4, carte 196.)

III.

MCCCCXI. die XIIII. Januarii.*)

Quia nuncius qui venit ad presentiam nostri dominii ex parte Regis Polanie, inter alia exposita nostro dominio, dixit quod si intentio nostri dominii est de faciendo cum dicto Rege domino suo ligam, habet etiam alia dicere. Et bonum imo necessarium sit extrahere a dicto nuncio, si fieri potest, de intentione domini sui. Vadit pars, quod respondeatur dicto nuncio, quod sumus dispositi venire ad ligam cum dicto Serenissimo Rege, domino suo. Et propterea si vult aliqua dicere super hoc, potest dicere quicquid sibi placet; quia sibi faciemus illam responsionem, que erit conveniens et honesta. Habita autem intentione dicti nuncii, postea venietur ad istud consilium, et providebitur de respondendo domino Regi Polanie, domino suo, aut per viam dicti nuncii, aut per viam Petri Bicharano, aut per aliam viam, prout isti consilio melius et utilius apparebit.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 4, carte 230.)

IV.

MCCCCXI. die XV. Januarii.)**

Cum comparuerit ad nostram presentiam unus nuncius Serenissimi domini Regis Polane, et nobis presentaverit litteras dicti

*) More veneto a więc 14 Stycznia 1412.
**) More veneto.

domini Regis, per quas amicabiliter scripsit nostro dominio quod audivit ea que sui ambaxiatores sibi rettulerunt ex parte nostri dominii, et similiter ea que sibi dixit prudens vir, Petrus Bicharano, subiungens, quod si volumus cum eo ligam facere, velimus unum vel duos ambaxiatores cum plena intentione ad suam presentiam mittere. Et dictus nuncius solicitat responsionem suam, quia dicit dictum dominum Regem Polane, debere esse cum dicto Rege Sigismundo in certo colloquio in carnisprivio futuro. Et bonum sit facere dicto nuncio responsionem. Vadit pars, quod respondeatur dicto nuncio, quod gratanter recepimus litteras Serenissimi domini sui, et audivimus ea, que prudenter exposuit, ex parte domini sui predicti. Et ad factum lige, dicimus, quod intentio nostra est, de habendo ligam cum dicto domino suo, contra dictum Regem Sigismondum, inimicum suum et nostrum, cui Regi Sigismondo, iam incepimus obstare, ne descendat ad partes Italie, ad accipiendum coronam Imperii, et ita sumus dispositi facere, et obviare descensui suo per terram et per aquam. Sed quia requirit, ut ad presentiam suam mittamus nostros ambaxiatores, videmus, propter breve tempus quod est usque carnisprivium, hoc tam cito facere non posse. Et quod ad obstandum presto descensui suo in Italiam remedium salutiferum est, ut Serenissimus dominus suus velit, ex parte sua facere posse suum, et impedire descensum suum, quia mora est periculosa, nichilominus super facto dicte lige, scribimus Petro Bicharano nostram intentionem prout oretenus explicabit domino suo predicto.

Petro autem Bicharano scribatur in hac forma. Petre, fuimus informati per literas Serenissimi domini Regis Polane, cordialis amici nostri, de his que sibi dixisti. Fuimus etiam informati per literas tuas super facto predicto, et de responsione habita a dicto domino Rege, et suo consilio, et similiter audivimus omnia, que nuncius suus, quem ad nostram presentiam misit nobis parte sue Serenitatis exposuit. Et propterea fidelitati tue mandamus, quatenus esse debeas ad presentiam dicti domini Regis, et nostri parte facere amicabiles salutationes et oblationes, et postea exponere, quod per literas benignas et generosas sue Serenitatis, intelleximus eius optimam et bonam dispositionem erga nostrum

dominium, de qua eidem immense regratiari debeas nostri parte. Ad factum lige, respondere debeas, quod videbatur nobis, quod Serenitas sua a parte sua velet obstare, et facere posse suum, tamquam contra inimicum suum et nostrum, ne dictus Rex Sigismondus descenderet ad accipiendum coronam Imperii, quia similiter nos a parte nostra obstamus, et obstare intendimus per terram et per mare, ne obtineat intentum suum, quia si descenderet, hoc redundaret ad incomodum et iacturam sue Serenitatis et nostri dominii. Verum quia mittere in presenti ambaxiatores nostros ad presentiam suam impossibile est, tum propter tempus breve, quod habet sua Serenitas in essendo in colloquio cum dicto Rege Sigismondo, ut nuncius suus nobis rettulit, tum quia ambaxiatores nostros propter discrimina itinerum, mittere non possumus, si aliud videretur sue Serenitati esse fiendum super facto dicte lige, potest tibi declarare intentionem suam; quia habita sua intentione circa predicta, providebimus facere presto responsionem nostram, per illum modum, quem cognoscemus fore cum commodo et dextro sue Serenitatis, et per consequens nostri dominii.

De parte 24.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 4, carte 230 t°.)

V.

MCCCCXI. die XV. Januarii. (m. v.)

Quod respectu tante humanitatis et boni animi, quem et quam ostendit Serenissimus dominus Rex Polane erga nostrum dominium in mittendo suum ambaxiatorem ad nos ad ostendendum desiderium suum, et versa vice pro ostendendo etiam nos, erga Serenitatem suam, affectionem et bonum cor nostri dominii, sit bonum mittere ad Maiestatem suam, ad habendum maiorem declarationem super his factis tanti ponderis, quia quando nil aliud esset, erit ostendere Regi Hungarie, et toti mundo habere intelligentiam et praticam cum Rege Polane. Ita quod non potest nisi prodesse factis nostris, debeat mitti unus noster nuncius secula-

ris seu religiosus, secundum quod melius videbitur Collegio, ad dictum dominum Regem Polane cum illa commissione, que fiet per istud consilium, quia etiam ipse dominus Rex nos rogavit et requisivit, ut placeat nobis mittere velle; et ita debeat dici ambaxiatori predicto.

De parte 79.
De non 5.
Non sinceri 7.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 4, carte 231.)

VI.

MCCCCXI. die XXIII. Januarii.*)

Quod committatur magistro Paulo in hac forma, videlicet.

Quod cum nostris literis credulitatis, quantum prestius poterit, ire debeat ad presentiam Serenissimi domini Regis Polonie, cui facta amicabili salutatione et oblatione, cum verbis pertinentibus et necessariis, prout videbitis fore honoris sue Serenitatis, et nostri dominii, dicat quod per suas literas regales fuimus informati, de omnibus his, que sue Serenitati nostri parte exposuit prudens vir Petrus Bicharano, fidelis civis noster, et similiter intelleximus omnia, que nuncius suus, quem ad presentiam nostram misit, ex parte sue Excellentie nobis exposuit, et comprehendentes bonam et optimam dispositionem suam, erga nostrum dominium, sue Excellentie, nostri parte, debeat immense regratiari. Ad factum autem lige fiende inter suam Majestatem, et nostrum dominium, sue Serenitati dicere debeatis, quod nostra dominatio contenta est, cum sua Serenitate ligam habere, et videtur nostro dominio, quod dicta liga sit in hunc modum, quod sua Serenitas a parte sua velit obstare, et facere posse suum, contra Regem Sigismondum, tamquam inimicum suum et nostrum, ne dictus Rex Sigismondus descendat ad accipiendum coronam Imperii, et nos similiter a parte nostra obstabimus per

*) More veneto.

terram et per mare, ne obtineat intentum suum, quia si descenderet descensus suus redundaret ad incomodum et iacturam tam sue Serenitatis, quam nostri dominii. Verum si aliud videretur sue Serenitati esse fiendum, super facto dicte lige, sua Serenitas potest declarare suam intentionem, quia habita sua intentione, providebimus presto respondere per illum modum, quem cognoscemus esse cum comodo, et dextro sue Serenitatis, et per consequens nostri dominii. Et ita facere debeat, scribendo presto omnia que habebit, et expectando nostrum mandatum. Pro quibus omnibus exequendis, esse debeat, cum dicto ser Petro Bicharano, cive nostro, et eidem intentionem nostram aperire, et secum omnia facere pro executione premissorum.

De parte 29.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 4, carte 235.)

VII.

MCCCCXI. die XXIII. Januarii.*)

Capta.

Nos Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum etc. Committimus vobis venerabili magistro Paulo Sacre theologie professori, dilecto nostro quatenus ire debeatis ad Serenissimum dominum Regem Polonie, ad quem cum eritis, presentatis nostris literis credentie vobis exhibitis, portabitis parte nostra honores, salutes et condignas oblationes, cum illis amicabilibus verbis ac secundum quod ad honorem sue regie Majestatis et nostri dominii vobis videbitur convenire.

Subsequenter exponetis sue Serenitati quod placuit sibi ad nos noviter destinare unum suum nuncium secretum ac scribere per regias literas ea que idem nuncius nostro Dominio substancialiter explicavit parte sua, et super relatis nostri parte sue Majestati per prudentem virum Petrum Bicharano, dilectum civem nostrum ibi moram trahentem pro amicabili liga contra-

*) More veneto.

henda simul et subsequenter super relatis per honorabiles et elegantissimos ambaxatores suos dominum prepositum Vradislaviensem et dominum Vexilliferum Cracoviensem redeuntes a curia Romana, quibus aliquantulum apperuimus mentem nostram pro bono consilio et hortamine sue Maiestatis vellemus ipsum nuncium suum ad nos missum clarius certificare de nostra intentione et in facto colligationis nostros ambaxatores cum plena libertate, ad suam Celsitudinem destinare dum nobis placeret, et quia veritas est et exinde nostrum propositum emanavit, quod tum ex clarissima fama toti mundo nota Celsitudinis sue, tum ex demonstratione quam plurium eius ambaxatorum hinc transeuntium, reportantium nobis sinceram voluntatem quam eius Excellentia erga nos et dominium nostrum gerit et maxime relatione dictorum dominorum suorum ambaxiatorum accedentium ad urbem, qui dixerunt, Serenitatem suam habere desiderium complacendi nostro dominio, auxit singularis affectio nostra erga honorem sue Maiestatis et augmentum. Et considerantes conditiones mundi mutari in diversitatem, et qui celerior est, ad provisionem, sapientior dignoscitur, ac facientes cogitamen super animo et desiderio domini Regis Sigismondi, qui scivit habere electionem Imperii appetens descendere in Italiam pro assumendo coronam, cuius coronatio non facit pro Serenissimo domino Rege Polonie nec pro nostro dominio, proposuimus hec sue Maiestati reducere ad memoriam per viam civis nostri Petri Bicarano et postea suorum ambaxatorum. Nuncque iuxta suam requisitionem providimus vos in nostrum ambaxiatorem ad suam Excellentiam destinare, notificando eidem quod misissemus nostros nobiles et solemnes ambaxatores, secundum quod deceret sue Maiestati nisi forent discrimina guerrarum et dubia itineris tantum longi.

Et quia in partibus Polonie est prefatus civis noster fidelissimus Petrus Bicharano praticus multum in curia domini Regis propter longam moram ibi factam, et etiam aliquantum informatus de mente nostra, volumus quod subito dum illuc applicueritis, debeatis, antequam compareatis ad presentiam domini Regis, esse et vos repperire cum dicto Petro et conferre secum de causa et materia qua ivistis et super his habere consilium et parere suum, ut intentum nostrum melius exequi possitis, Et adhuc quod

ipse Petrus etiam personaliter se repperiat vobiscum in executione huius mandati nostri ad presentiam Regis. Declarando vobis quod sumus informati quod prefatus dominus Rex Polonie et Rex Hungarie habent certam treuguam simul, usque ad Sanctam Mariam de mense Augusti, sed quod isto carnispluvio (*sic*), debent convenire in certo loco aut alii suo nomine ad terminandum et videndum si treugua tenet et tenere debet aut non, vel si disponunt illam confirmare, aut quod sit rupta per aliquos iam aptus secutos. Et propterea principaliter super hac parte declaretis bene vos cum ipso Petro, et conemini ambo scire caute et secrete, si firma est ipsa treugua aut aliter, ut melius possitis vos intelligere in expositione ambaxiate et in praticis habendis.

Expositis igitur omnibus contentis in primo capitulo, cum illis verbis, que vestre sapientie videbuntur, debeatis dicere et explicare Serenissimo domino Regi Polonie predicto, quod existentibus rebus in his terminis quodque Rex Sigismondus Hungarie semper fuerit et sit inimicus sue Serenitatis, nec etiam amicus sit nostri dominii, et vicians (*sic*) et confinans cum territorio Polonie, semper conatus fuerit sibi inferre novitates per se et suos adherentes et colligatos et si hoc fecit in statu quo hucusque se repperit, quid debet imaginari ipsum facturum, si descendet et assumpserit coronam Imperii ac auxerit potentiam suam, nisi quod ponat omnes vires suas semper ad novitates, guerram et damna ipsius domini Regis et suorum subditorum, nam ut apparet non solum pretendit ad obliviscendum causis guerrarum, sed ad postponendum omnia benefitia recepta sicut sunt multa notabilia servitia per nostrum dominium sibi illata, que quia nota fuerunt toti mundo declarare non oportet. Nunc autem ipse dominus Rex Sigismondus dedit principium adventui suo premittendo multas gentes suas ad partes Foroiulii ut possit postea personaliter descendere. Et iam sine diffida, ymo nobis improvisis se discohoperuit inimicum nostrum hostiliter rumpens cum ipsis gentibus suis ad damna nostri territorii. Et pro tanto videntes ipsum dominum Regem Sigismondum, suum inimicum et nostrum, judicavimus bonum et securum esse, ut ipse dominus Rex Polonie quem scimus potentissimum esse, gentibus et facultate, et nos etiam qui per gratiam Dei possumus nostram potentiam demon-

strare, intelligamus nos ad invicem et conformemur in una voluntate, animo et unione ut unita potentia utriusque partis intentio et dispositio ipsius domini Regis Polonie et nostri dominii, pro quibus non facit descensus ipsius Regis Sigismondi pro assumptione corone ad ostandum hoc cum bono effectu sequi possit. Et hic volumus quod totis spiritibus vestris procuretis habere et scire intentionem ab ipso domino Rege, si est dispositus velle rumpere et movere guerram a parte sua, quia certa treugua erat inter ipsos regales usque ad mensem Augusti, sed non scimus si tenet aut non, sive quod rupta sit. Et propterea aperta intentione sua regali et declarato quod velit rumpere et guerrizare ante ipsum tempus mensis Augusti et antequam descenderet Rex Sigismondus, vos pervenietis ad praticas et conclusionem per modum unionis et amicabilis lige.

Et in casu quo ipse dominus Rex Polonie esset contentus et promitteret rumpere et guerrizare toto posse suo ante ipsum terminum mensis Augusti, quia diceret treuguam quam habent simul non tenere vel aliter non curando de treugua, sumus contenti in bona gratia quod veniatis ad praticas unionis et lige amicabilis, cum tali promissione ad invicem contra Regem Sigismondum, ut non descendat ad accipiendum coronam Imperii videlicet quod ipse dominus Rex facere debeat posse suum a parte deinde et molestare ac guerrizare territoria Regis Sigismondi ita et taliter, quod impediatur descensus suus et quod non mittat maiorem potentiam ad partes istas, et quod nos a parte de hinc contra has gentes suas iam descensas et similiter per mare ad terras quas habet ad marinam faciamus posse nostrum, quia multas galeas et navigia habebimus in mari, cum quibus multas molestias et novitates pensamus facere ad ipsas terras et loca sua adhuc in terra habemus et plus habebimus sfortium gentium multarum, cum quibus speramus divino auxilio prorumpere gentes suas, iam descensas, que laborem habebunt unquam redeundi ad regnum et faciemus posse nostrum cum potentia nostra et aliorum dominorum et dominationum amicorum et amicarum nostri dominii vetare et tenere passum, ut ipse Rex Sigismondus nec gentes sue procedant pro corona Imperii acquirenda, dummodo pur (*sic*) a parte sua faciat posse suum hora et tempore oppor-

tuno Recordando sue Excellentie, quod nostro dominio molestante a parte terre et maris, ut est dictum, dominum Regem Sigismondum et ipse dominus Rex Polonie, cum posse suo deprimat terras Hungarie deinde quia scimus ipsum esse in jure maximo leviter de ipsis acquiret cum honore statu et augmento suo et hoc modo procuretis in bona gratia firmare et concludere hec omnia predicta per modum unionis, federationis ac amicabilis lige, ut dictum est. Et si melius sciret recordari tamquam sapientissimus et virtuosus princeps de his que forent ad damna et destructionem prefati inimici sui et nostri libenter audietis, ut fiant et teneantur omnes illi modi qui sint possibiles pro executione sue intentionis et illius nostri dominii super terminis supradictis.

Et si vero ipse dominus Rex diceret aut dici faceret vobis, quod esset in treugua cum Rege Sigismondo et illam esse firmam usque ad tempus predictum mensis Augusti, volumus quod faciatis omnes possibiles experientias honesto modo et cum pertinentibus et sapientibus verbis, que vobis et Petro Bicarano videbuntur convenire, si dominus Rex velet contentari possendo hoc facere cum honore suo de movenda guerra ante dictum tempus et comprehensa sua intentione regali ab eo vel a suis baronibus, si vobis tamen videbitur hoc facere debere finaliter, cognito quod non sit modus, quod Rex vellet rumpere ante tempus predictum, non procedatis ulterius in aliquam praticam lige vel unionis. Sed dicatis quod hec dilatio non esset nisi nociva sue Serenitati et nobis quia totum in quo conatus est Rex Sigismondus tenere et firmare treuguam, fecit pro descendendo acceptum coronam Imperii, sed cum habuit suam intentionem volet omnia subiugare secundum appetitum suum et tamquam Imperator dicet multa ad eum spectare. Et propterea non possendo vos aliter concludere cum tanta dilatione nec habendo libertatem in hoc, scribetis nobis presto, et expectabitis mandatum nostrum. Et sic facere debeatis scribendo nobis pro nostra informatione totum id quod potueritis comprehendere, quod sit vel esse possit de mente et intentione domini Regis Polonie.

Sed si per modum dictum superius contentabitur rumpere, ante ipsum terminum mensis Augusti, ymo presto guerrizare et

facere posse suum a parte sua, et quod nos idem faciamus a parte nostra, ut est dictum, sed velet se ulterius intelligere vel aliquid requireret ultra expressa superius et declarata, volumus quod deliberato inter vos duos super hac responsione fienda de facto Imperii, dicatis quod Rex Sigismundus habuit electores Imperii propitios. Sed si idem Rex Polonie videret modum possendi obtinere Imperium ut ille qui est Christianissimus et cui melius staret Imperium quam alius dominus propter sapientiam suam ac maximam potentiam, nec non sincerum animum ad bonum, quietem et defensionem Christianitatis et ad possendum deprimere infideles, tamquam ex potentioribus principibus mundi. Nos a parte nostra conabimur iuxta posse, tractare, ut habere possit coronam Imperii. Et ulterius promittimus sibi dare transitum et passus nostros et facere sibi honores et comoda possibilia, cum descenderet per terras et loca nostra pro acquirendo coronam Imperii, ut est dictum.

Et si pur (*sic*) staret constans in aliqua requisitione vel promissione sibi fienda, promittente ipso, velle rumpere et guerrizare ante mensem Augusti, ut est dictum, et aliter non velet attendere ad predicta, debeatis respondere quod hoc, quod nobis visum fuit, fore justum et rationabile committendum vobis, dedimus in commissione pro praticando et concludendo secum, et quod nobis visum etiam fuit facere pro bono et exaltatione sue corone et nostri dominii et non ulterius nec aliud possetis dicere, sed quod nobis scribetis super tali declaratione et expectabitis mandatum. Et sic facere debeatis, non desistendo tamen continue et interim procurare cum ipso domino Rege et inducere illum, ut rumpat et guerrizet, ut superius dictum est.

Ultimo quia ut est imaginandum, ipse dominus Rex vos requiret in casu quo condescendat ad suprascriptam nostram intentionem per aliquem modorum suprascriptorum, quod declaretis sibi super facto lige pro quanto tempore fieri debeat, et ulterius quod pro tempore quo firmaretur neutra partium deberet facere pacem nec treuguam sine consensu alterius partis. Respondeatis quod quia nostra dominatio audivit quod treugua erat inter dominum Regem Polonie et Regem Hungarie, que durabat usque ad mensem Augusti, habito respectu quod hec dilatio temporis non

faceret pro nostro dominio, quod dominium nesciebat, si sibi deberet ante ipsum terminum velle promittere de guerrizando. Idcirco ista de causa non habentes nos firmiter intentionem suam regalem, non potuimus dare vobis speciale mandatum, sed data intentione sua super hoc et nobis significata speratis, quod nostrum dominium dabit talem responsionem sibi quod habebit merito contentari rogando Maiestatem suam ut pro hoc non desistat rumpere et guerrizare pro bono factorum predictorum.

Dari vobis fecimus sindicatum in plena forma, ut illud ostendere possitis tempore debito et quo foret opportunum, sed licet sit in ipsa amplitudine, nolumus quod excedatis nec transeatis formam et effectum vestre commissionis et aliorum mandatorum, que vobis de tempore in tempus vobis scriberemus.

De parte 53.
De non 7.
Non sinceri 13.

Archivio di Stato in Venezia.
(Senato, Secreti, Reg 4, c. 235 tergo.)

VIII.

MCCCCXII. die XIIII. Aprilis.

Cum Serenissimus dominus Rex Polonie nuper scripserit nostro dominio per literas suas, quod conclusit pacem et concordium cum Rege Hungarie, et petit per literas suas, quod velimus suam Majestatem declarare, si concordium et pacem intendimus habere cum dicto domino Rege Hungarie, quia interponet partes suas ad concordium predictum. Et per ea, que retulit nuncius suus, sub suis credentialibus literis, habeatur quod talis requisitio procedit de mente et voluntate Regis Hungarie. Et subiungit dictus nuncius, quod Rex Polonie requirit, quod mittamus, ad presentiam suam, nostram ambaxiatam; quia si mittemus nostram ambaxiatam, expectabit in Budua, ultra festum Sancti Georgii, per dies quinque. Et considerato tempore brevi,

necessarium sit presto de nostra ambaxiata, itura ad dictum Regem Polonie providere, que ambaxiata ita solicitet iter suum, quod sit Budue, antequam dictus Rex Polonie inde recedat; ut ostendatur toti mundo, nos esse dispositos ad pacem. Vadit pars, quod subito eligi debeant per scruptinium in isto consilio, duo nostri ambaxiatores, qui possint accipi de omni loco, et offitio, et de auditoribus et judicatu peticionum, et advocatoribus comunis et offitio continuo, et statim teneantur respondere, et non possint refutare sub pena ducatorum ducentorum. Et si refutarent, pro eundo extra, teneantur transire Alpes, sive Quarnarium, et stare ultra per duos menses; habeant ducatos centum pro quolibet, pro ista ambaxiata, ducere debeant tres domicelos pro quolibet, tres ragatios pro quolibet, unum notarium, cum uno famulo, unum mareschalcum, et unum cochum, et unum expensatorem, et unum truzimanum et tres saumas, et possint expendere ducatos decem in die, non computatis agozijs equorum, nec nabulis navigiorum. Et teneantur recedere infra terciam diem cum illa commissione, que eis dabitur per istud consilium. Et si se excusarent deffectu persone, acceptari non debeat, nisi iuraverint per sacramentum ita esse, et ultra sacramentum, acceptari debeat per duas partes istius consilii.

De parte 84.

Electi ambaxiatores

ser Thomas Mozenigo, procurator.
ser Antonius Contareno, quondam ser. Marini.



IX.

Cum Serenissimus dominus Rex Polonie miserit ad nostrum dominium, unum suum nuncium cum literis suis significando nobis tam oretenus, quam per literas, quod libenter interponeret se, inter Serenissimum dominum Regem Hungarie, et nostrum dominium, et propterea quod velimus sibi facere notum, et apperire mentem nostram, si cum domino Sigismondo Rege aliquam concordiam et pacis federa intendimus recipere, ut interponatur

partes suas, super his agendis. Et faciat pro statu nostro significare sibi intentionem nostram, et ostendere, quod non deficiat pro nobis pax, et concordium sicut nunquam defecit, prout est notoriam toti mundo. Vadit pars, quod per literas nostras respondeatur prestissime domino Regi Polonie predicto, quod per significationem suam conprehendimus, et cognoscimus optimam mentem suam regalem erga nostrum dominium, tantum bene dispositam, quantum dici potest, et maxime, cum videamus illam avidam ad omne bonum et pacificum statum nostrum, et totius Christianitatis, tanquam verum et Christianissimum Principem, et semper novit deus, cepimus et capimus illam latissimam confidentiam in Serenitatem suam, quam faceremus de aliquo alio principe mundi, sperantes quod faceret de rebus, que forent in placitum dei, et laudem, ac famam sue Majestatis, ac bonum medium, et conclusionem bone pacis; nam sic semper optavimus omnem felicitatem et augmentum status sui. Verum sicut potest esse notum sue Majestati, et toti mundo, dum alias nostri ambaxiatores forent in Hungaria, ad dominum Regem Hungariae, deventum est, quod dominus Papa foret comunis interpositor et mediator differentiarum predictarum, et hac de causa misse sunt ambaxiate per utramque partium, que presentialiter ibi sunt in pratica, pro tractatu concordii suprascripti, nec adhuc aliquid conclusum est. Ac tamen quia nolumus, quod deficiat pro nobis, nec quod appareat, quod semper voluerimus, non aliud, quam concordium et pacem, si dictus dominus Rex habet ascensum domini Regis Sigismondi, sicut nobis dici fecit, et dispositionem suam deveniendi ad pacem, per medium et interpositionem sue regalis Majestatis, nos sumus parati a parte nostra, mittere nostram legationem dum mittatur nobis salvus conductus, per quem secure transire possint ad partes predictas nostri ambaxiatores, nam subito eos mittemus, pro executione negotij suprascripti.

De parte 36.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 5, carte 11 t°.)



X.

MCCCCXII. die XIIII. Aprilis.

Quod donentur isti nuncio Serenissimi domini Regis Polonie, pro suis expensis, et pro mittendo statim hac nocte unum suum nuncium, ad dominum Regem predictum, cum literis nostris, ducatos sexaginta auri.

De parte omnes alii.
De non 5.
Non sinceri 0.

(Idem carte 12.)

XI.

MCCCCXII. die XIIII. Aprilis.

Quod scribatur Serenissimo domino Regi Polonie in hac forma, videlicet.

Per literas vestras regias, et oretenus per nuncium vestrum, virum prudentem Thomam de Diaco fuimus informati concordium et pacem secutam esse inter Majestatem vestram et Serenissimum dominum Regem Hungarie. Et subiungit Majestas vestra predicta, quod si intendimus pacem et concordium habere, cum Serenissimo Rege Hungarie, Majestatem vestram velimus declarare, et addidit nuncius vester predictus sub vestris credentialibus literis, quod mittamus ad vestram presentiam nostram ambaxiatam, quia interponetis regias partes vestras ad concordium et pacem pertractandam, de qua participatione et significatione dicte pacis secute, tanquam amici vestri devoti, gaudium sensimus singulare, tenentes significationem predictam, ex magna caritate procedere. Et de benigna et gratiosa oblatione vestra regia, de interponendo Maiestatem vestram ad concordium et pacem pertractandam. Cognoscentes illam procedere ex affectione et caritate, quibus Maiestas vestra, nostro dominio amicabiliter afficitur, quam uberiores gratiarum actiones possumus devote referimus, Regie Excellentie vestre declarantes quod sequentes

mores progenitorum nostrorum, semper quesivimus viam pacis, et procuravimus cum quibuscumque principibus et dominis mundi pacifice et quiete vivere. Et inter alios principes mundi semper affectavimus cum Serenissimo Rege Hungarie amicabiliter vivere, nec unquam pro nostro dominio defecit, quin pax sequatur, inter Serenissimum dominum Regem Hungarie predictum et nos, nec similiter pro nobis deficiet, ut ad pacem predictam deveniatur. Et, ut Maiestas vestra cognoscat, nos ad pacem esse dispositos, et interpositionem vestram regiam, inter alias interpositiones, quas habere possemus, esse nostro dominio gratam, et acceptam, terminavimus cum nuncio vestro Thoma predicto, nostram ambaxiatam, ad conspectum vestre Excellentie destinare, que in brevi, cum dicto nuncio vestro de Venetiis recedet.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 5, carte 12 t°.)

XII.

MCCCCXII. die XVI. Aprilis.

Quod scribatur ambaxiatoribus nostris in Romana curia, in hac forma, videlicet.

Nuper Serenissimus dominus Rex Polonie misit ad nos quemdam eius nuncium secretum, cum literis suis regiis, faciendo nobis significari, tam oretenus, quam per literas, qualiter concordia et pax secuta est, inter Excellentiam suam, et Serenissimum dominum Regem Hungarie. Et quod ambo Reges predicti equitaverant Cassoniam in territorium Hungarie, et deinde Budam equitare debebant. Et quia libenter interponeret se, inter ipsum dominum Regem Hungarie, et nostrum dominium, velemus apperire sibi mentem nostram, si sumus contenti quod se interponat, requiri faciendo nos, de missione nostre legationis, pro qua misi et mitti fecit literas salviconductus utriusque ipsorum Regum, pro securo transitu nostrorum ambaxiatorum, clarificando nos, quod in his habet assensum et voluntatem domini Regis Hungarie. Idcirco, consideratis omnibus predictis, et ma-

xime quod dominus Rex Polonie, non se movere debet sine magna intentione, habens assensum domini Regis Hungarie, et quod etiam noviter nobis significastis, oratorem regium Rome existentem, mittere unum suum nuncium in Hungariam, pro obtinendo unum sindicatum in ampliori forma quam habeat, per quem nuncium videri poterit melius, et comprehendi intentio Regis Hungarie, deliberavibus pro tali requisitione facta nobis, eligere et mittere duos nostros solemnes oratores profecturos de brevi ad dictas partes, ut appareat et manifestum sit mundo, quod pax, et concordium non deficiat pro nostro dominio. Quid autem sequi possit, hoc est in dispositione Dei. Sed tamen, pro omni bono respectu et declaratione rei voluimus hoc subito vobis significare, mandando fidelitati vestre, ut de predictis Sanctissimo summo Pontifici noticiam detis. Ita quod de causis nos moventibus, remaneat informatus, potest autem ipse dominus Papa firmiter considerare, quod totam spem nostram semper habuimus et habemus in clementiam suam, et tam de interpositione sua, in presenti negotio nostro, in quo dignatus est intrare et esse, quam in omnibus aliis, in quibus haberet agere et tractare pro nostro dominio fidelibus devotis Sancte Matris Ecclesie et et sue Apostolice Sanctitatis.

De parte 113.
De non 8.
De sinceri 3.

Archivio di Stato in Venezia.
(Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 5, carte 12 t°.)

XIII.

MCCCCXII. die XVII. Aprilis.

Capta.

Nos Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum etc. Committimus vobis nobilibus viris Thome Mozenigo procuratori ecclesie Sancti Marci et Antonio Contareno dilectis et honorabilibus civibus nostris quod in bona gratia debeatis ire nostri solemnes

Oratores ad Serenissimum principem dominum Vladislaum Regem Polonie cui presentatis literis nostris credentialibus, et facta reverenti et condecenti salutatione et amicabili ac caritativa oblatione cum devotis et pertinentibus verbis parte nostra debeatis exponere quod per literas magistri Pauli oratoris nostri sed multo latius et clarius per literas Sue Serenitatis datas Cassovie XXVIII mensis Martii proxime preteriti et per relationem discreti viri Thome de Diaco familiaris et nuncii sui sub suis predictis credentialibus literis, qui asseruit et nobis exposuit Suam Maiestatem esse dispositam et promptam fatigare et se operari ad tractandum pacem inter Serenissimum dominum Regem Hungarie et nostrum dominium et hoc fecisse nobis notificare de scitu et noticia dicti domini Regis Hungarie, cognovimus per effectum primo grandem et intrinsecam caritatem et affectionem qua Sua Excellentia gerit quieti Christianitatis et generaliter omnibus Christianis. Secundario sincerissimam dilectionem quam spetialiter habet nostro Dominio et hoc patet per experientiam, nam sua sapientia nedum secundum opportunitatem temporis et pro comodo Christianitatis cessavit a guerra et annuit paci domini Regis Hungarie sed etiam non tradens oblivioni devotos amicos suos dignatur et offert benigne interponere partes et operationes suas bonas, ut pax sequatur inter prefatum dominum Regem Hungarie et nos gratiose et humane tanquam Christianissimus Princeps nos inducendo et advocando ad hanc pacem; hec certe procedunt ex maxima clementia et sapientia que vigent in Sua Maiestate. Pro quibus exolventes Sue Maiestati actiones gratiarum quam uberiores possumus, certificamus Suam Excellentiam quod interpositio Sue Maiestatis est nobis gratissima et habemus hoc in singulare gaudium propter maximas virtutes suas. Et quia non dubitamus ymo sumus certissimi quod habebit honorem et jura nostra favore propitio recommissa. Et propterea pro parte nostri dominii devotorum amicorum Sue Serenitatis presentavistis vos coram conspectu suo regio, ut per medium et interpositionem suam possit dari bonum principium melius medium et optima conclusio huic paci, subiungendo quod semper habuimus odio guerras et ad guerram non venimus nisi coacti, teste Deo, quia natura nostrorum progenitorum et nostri

semper fuit prona et avida pacis et vivendi cum omnibus in pace et specialiter cum domino Rege Hungarie prefato in complacentiam et conservationem persone et status cuius tot et tanta fecimus quod nostro juditio non habet nisi veram et justam causam diligendi nos et statum nostri dominii, offerendo vos paratos informare Suam Serenitatem tunc statim vel alia vice quando sibi placebit de juribus nostris circa differentias existentes inter dominum Regem Hungarie et nostrum dominium et essendi ad praticam tractatus pacis ubi et quando et cum quibus ordinabit et deputabit Sua Maiestas et sic facere debeatis secundum ordinem quem vobis dabit dictus dominus Rex Polonie. Verum quia credimus quod forte necesse erit quod compareatis vel vos reperiatis in presentia domini Regis Hungarie, volumus quod facta debita reverentia et devota salutatione debeatis exponere quod ivistis de nostro mandato ad illas partes ad persuasionem Serenissimi domini Regis Polonie causa tractandi pacem, etiam quia nostra dominatio non potest credere quod mens ipsius domini Regis Hungarie multis respectibus sed spetialiter pro bono Christianitatis et contemplatione Serenissimi domini Regis Polonie et respectu eorum que fecimus in complacentiam et commoditatem ipsius domini Regis et regni Hungarie velit perseverare in guerra nobiscum maxime cum si Sue Maiestati placebit, possit fieri pax conveniens et rationabilis et accomoda et grata Sue Serenitati et nostro dominio.

Et quia in his principiis, tam per dominum Regem Polonie quam forte etiam per partem adversam fient vobis peticiones allegationes, et oppositiones multe et magne, confidentes de sapientiis vestris, quia estis plenarie informati de juribus et defensionibus nostris, debeatis respondere secundum quod prudentiis vestris videbitur esse necesse, semper tamen substinendo jura et honorem nostrum cum honestate omni et cum modis qui possint esse causa inductiva concordii et pacis sicut de vobis plene confidimus. Et quia non dubitamus, imo sumus certissimi quod principaliter vobis fiet mentio et requisitio solutionum VII^{m} ducatorum, super hoc presertim declaramus vobis mentem nostram que est quod sustineatis constantissime quod ad dictas solutiones non tenemur pro preterito nec futuro. Et super hoc

facietis omnem resistentiam opportunam, ut videatur et comprehendat quod non sumus dispositi ad dictas solutiones pro preterito nec pro futuro tempore.

Sed volumus quod retrahere et lutanare vos debeatis a pratica dictarum solutionum et attendere debeatis ad facta Dalmatie et aliarum differentiarum cum hac intentione semper quod per conclusionem pacis, que fieret non possimus habere impedimentum de dictis solutionibus VII^m ducatorum pro preterito nec pro futuro propter quantitatem pecunie de qua hic dabimus vobis libertatem pro possendo devenire ad pacem in hunc modum, videlicet peticiones vero nostre sunt iste.

Quod habeamus, dominemur et teneamus pacifice et quiete in Dalmatia omnia que tenemus et possidemus et nobis dari et assignari debeant in nostra potestate et arbitrio residuum totius Dalmatie, quam Dalmatiam sumus contenti recognoscere a domino Rege, corona et regno Hungarie et in signum recognitionis presentari facere omni anno domino Regni predicto unum equum cohopertum vel unum pannum aureum. Et si pars adversa omnino volet excludere Ragusium et Spalatum et illas insulas quas tenet Cravoia, pro hoc non desistat executio pacis et concordii.

Secundario volumus quod nostro dominio restituantur omnes terre, civitates, castra et loca ubicunque sita que nobis ablata sunt per gentes vel sequaces prefati domini Regis et que repperirentur ablata tempore conclusionis concordii.

Tercio quod dictus dominus Rex Romanorum et Hungarie promittat per se, heredes et successores non offendere nec molestare, nec inqüietare, nec turbare, nec aliquid petere a nostro dominio pro aliqua civitate, terra, castro vel loco aut territorio que habemus et possidemus, in quibus vel aliquo eorum Imperium haberet vel habere pretenderet aliquod jus, jurisdictionem, dominium vel preheminentiam, sed permittere nostrum dominium dictas civitates, terras, castra, loca et territoria ubicunque sint posita dominari, gubernari, tenere et possidere pacifice et quiete et non dare alicui volenti offendere vel offendenti dictas terras et loca aliquod auxilium vel favorem.

Quarto petimus, non quia teneamur ullo modo ad solutiones ducatorum VII^{m}, nec pro preterito nec pro futuro, sed quia fiunt nobis requisitiones dictarum solutionum, quod ad cautellam et pro cessatione omnis materie scandali et erroris nostrum dominium absolvatur et liberetur et quietetur a domino Rege Romanorum et Hungarie per se, heredes, successores, coronam et Regnum Hungarie cum solemnitatibus opportunis a peticionibus que fiunt de solutionibus VII^{m} ducatorum et a solutionibus predictis tam pro preterito quam pro futuro. Ita quod nullo modo vel forma a nobis aliquid per aliquem peti possit de dictis solutionibus tam pro preterito quam pro futuro. Et super hoc insistere penitus debeatis, quia ut dictum est, nostre intentionis non est obligare nostrum dominium ad solutiones dictorum VII^{m} ducatorum.

Et pro dando principium pratice et ad faciendum inclinare partem adversam ad condescendendum paci in forma suprascripta, ac etiam ut possitis comprehendere de intentione partis adverse, debeatis in ista pratica incipere ad promittendum aliquam quantitatem pecunie non exprimendo ullo modo totam quantitatem, nisi tempore omnino necessario et debito. Et propterea damus vobis libertatem quod si videbitis posse obtinere omnia suprascripta simul prout iacent in suprascriptis capitulis ut non perdatur tempus, possitis promittere ad partem ad partem usque ad quantitatem ducatorum CCC^{m} in totum, per illos quam longiores terminos poteritis obtinere, habendo respectum ad nostram habilitatem solvendi, considerata maxima quantitate pecunie predicte. Et ut hec pax concludatur per modum suprascriptum, debeatis ut plene confidimus facere instantias et procurationes opportunas.

Si vero in hac pratica videbitis et comprehendetis quod pro aliqua differentia vel causa occurrente pax sequi non posset vel quod tractatus pacis sit futurus nimis longus, damus vobis libertatem attendendi ad treuguas in hunc modum quod ista treugua fiat ad quantum longius tempus fieri poterit quod non sit minus quam annorum quinque et cessent offense. Et quod de omnibus differentiis partes remaneant in treugua nec pro dictis differentiis una pars alteri nec altera alteri aliquid possit petere

durante hac treugua, salvo quod volumus quod omnino nobis restituantur civitates, terre et loca ablata nostro dominio, quia fuerunt occupata post interpositionem Pape per partes acceptatam et promittatur nobis pro terris nostris in quibus Imperium haberet jus sicut in antescriptis capitulis dictum est, et quod dictus dominus Rex dari et assignari faciat nobis Tragurium et Sibenicum non per modum alienationis sed per modum pigneris et nos mutuabimus eidem ducatos CC^m. Et quod quando Sua Maiestas nobis restituet dictam quantitatem pecunie, teneamur restituere eidem domino Regi dictas duas terras Tragurii et Sibenici et quod dictum mutuum fiat per nos, videlicet medietatem per tres menses post celebrationem instrumenti treugue, et aliam medietatem abinde usque unum annum declarando in treugua et sic omnino volumus poni in dicta treugua quod licet terminus treugue qui ponetur in contractu expiraret non restitutis nobis dictis ducatis ducentis millibus treugua nichilominus debeat durare donec nobis restituta fuerit suprascripta pecunia mutuata.

Insuper si in dicta pratica requireremini de intentione nostra circa transitum domini Regis predicti pro accipiendo coronam suam in Italia, debeatis respondere et offerre nostrum dominium promptum et paratum secuta pace vel treugua honorare prefatum dominum Regem et comittivam suam super territoriis nostris devote et amicabiliter ut fecimus recolende memorie genitorem suum, quando simili de causa accessit in Italiam que oblatio habeat locum sequente pace vel treugua.

Item si in dicta praticha fieret aliqua mentio vel requisitio vobis de galeis nostris contra infideles, damus vobis libertatem possendi et antequam exprimatis totam quantitatem pecunie et post et quando et sicut vobis videbitur posse prodesse nostris intentionibus suprascriptis promittere tenere in partibus Gretie a sex usque X galeas armatas nostris expensis in subsidium et favorem Christianitatis et ipsius domini Regis Romanorum et Hungarie quando et donec Sua Maiestas personaliter cum potenti exercitu erit et stabit in partibus Gretie contra infideles, declarando et ostendendo, ut est rei veritas, quanta gravedo et expensa nobis erit tenere tot galeas in dictis partibus, et quantus favor Christianitatis et regni Hungarie, et quantum damnum et

incomodum cedet nostris locis confinantibus cum Turchis et etiam mercatoribus nostris conversantibus in locis Turchorum, que provisio galearum habeat locum si concludetur in pace.

Preterea quia in talibus et tantis tractatibus multum possunt prodesse promissiones pecunie que fierent dono vel merito personis que possint esse causa faciendi partem adversam condescendere nostre voluntati vel informare vos de intentione alterius partis, damus vobis libertatem possendi promittere et expendere in talibus personis usque quantitatem ducatorum X^m promittendo solutionem sequendo et postquam secuta fuerit pax vel treugua.

Ceterum debeatis omnino includere in hac pace, concordio vel treugua, magnificum dominum Nicolaum Marchionem Estensem et magnificos dominos Karolum et Pandulfum de Malatestis et alios colligatos et recommendatos nostros.

Similiter vice versa si dominus Rex vellet includere in hac pace, concordio vel treugua patriam Foroiulii, sumus contenti quod ponatur et includatur in ea.

Verum non obstante quod preponamus vobis intentiones et voluntatem nostram sub brevitate predicta debeatis vos qui estis informati dicere, apperire et allegare dictas nostras intentiones tempore et loco debitis non exeundo ab effectu et continentia suprascriptorum capitulorum confidentes in vestris sapientiis. Relinquimus secundum occurrentia postponere et preponere partita, intentiones et modos et capitula predicta secundum quod videbitis posse melius redundare nostro dominio, non transeundo tamen effectum dictarum nostrarum intentionum.

Insuper habeatis menti, si concludetis in pace vel in treugua, de faciendo fieri et rogari instrumenta in sufficienti forma et cum solemnitatibus opportunis et extendere capitula in forma necessaria, et habere presertim respectum quod promissiones et obligationes partis adverse nobis fiant in hiis que tangunt Imperium per ipsum dominum Regem, heredes et successores suos et in his que tangunt Regnum Hungarie per ipsum ut Regem Romanorum et Hungarie et per se, heredes, successores suos ac coronam et regnum Hungarie. Et quod habeatis instrumenta autentica bullata et roborata sicut fuerit opportunum conducenda per vos Venetias ad nostri cautellam.

Et si causa solutionum ducatorum VII^{m} ad quas solutiones nolumus assentire sed liberari et absolvi ut dictum est supra vel alia causa non possetis obtinere conclusionem pacis nec treugue, debeatis scribere et informare nos, de omnibus secutis, et de novis presto et ordinate, et expectare nostrum mandatum. Et interim ire et stare in illo loco et parte in quibus placuerit domino regi Polonie.

De parte — 61 — 72.

Ser Nicolaus Victuri, Sapiens Consilii — Ser Benedictus Capello, Sapiens guerre:

Volunt primum capitulum suprascripte commissionis pro ut jacet cum infrascriptis capitulis.

Modi autem cum quibus sumus contenti devenire ad hanc pacem et intentiones nostre sunt effectualiter isti.

Primo volumus habere, tenere, dominari et possidere pacifice et quiete terras, civitates, castra, insulas et loca que tenemus in Dalmatia et quod dominus Rex Romanorum et Hungarie faciat nobis dari et assignari in nostra potestate et arbitrio residuum totius Dalmatie et recognoscere Dalmatiam a domino Rege predicto, corona et regno Hungarie et in signum huius recognitionis presentari facere omni anno domino Regi Hungarie unum equum cohopertum vel unum pannum aureum. Verum si pars adversa omnino velet excludere Ragusium vel Spalatum vel ambo dicta loca debeatis condescendere ad id non possendo aliter facere.

Secundario volumus quod nostro dominio restituantur omnes terre, civitates, castra et loca ubicunque sint sita que nobis ablate sunt per gentes vel sequaces prefati domini Regis Romanorum et Hungarie vel reperirentur ablate esse tempore conclusionis pacis vel concordii.

Tertio quod dictus dominus Rex Romanorum et Hungarie promitat per se, heredes et successores suos non offendere nec molestare nec inquietare nec turbare vel aliquid petere a nostro dominio pro aliqua civitate, terra, castro, loco vel territorio que habemus et possidemus in quibus vel in quorum aliquo Imperium haberet vel habere pretenderet aliquid jus, jurisdictionem,

dominium vel preheminentiam, sed promittere nostrum dominium dictas civitates, terras, castra, loca et territoria ubicunque sint posita dominari, gubernari, tenere et possidere pacifice et quiete, et non dare alicui volenti offendere vel offendenti dictas terras et loca aliquod auxilium vel favorem.

Quarto petimus propter peticiones nobis factas quod dictus dominus Rex Romanorum et Hungarie per se, heredes, successores, coronam et regnum Hungarie cum solemnitatibus opportunis quietet, liberet et absolvat nostrum dominium et comune Venetiarum a peticionibus que nobis fiunt de solutionibus ducatorum VII^{m} tam pro tempore preterito quam futuro, et a solutionibus predictis. Habeatis tamen menti de allegando et sustinendo et defendendo continue quod non tenemur ad dictas solutiones, et dicendo quod hec quietatio et absolutio queritur non quia teneamur sed ad cautellam pro cessatione omnis materie scandali et erroris nunc et in futurum et super hoc operemini sensus et intellectus vestros quantum plus poteritis.

Et ut possitis obtinere omnia suprascripta, sumus contenti et damus vobis libertatem quod si firmiter videbitis et cognoscetis quod pars adversa velit condescendere pro pecunia ad remissionem perpetuam solutionum VII^{m} ducatorum, possitis pro obtinendo omnia contenta in suprascriptis quatuor capitulis, promittere ad partem ad partem usque ad quantitatem ducatorum trecentum milium solvendorum per nos per illos quam longiores terminos et bonos modos in quibus vestre prudentie poterunt se convenire cum parte adversa, considerata quantitate pecunia que est grandissima.

Si vero videbitis et cognoscetis expresse et manifeste quod pars adversa pro pecunia nullo modo velit facere remissionem et quietationem solutionum VII^{m} ducatorum, eo casu nolumus quod aperiatis vos ad promittendum pro habendo Dalmatiam, terras ammissas et securitatem terrarum Imperii ad tantam summam, sed solummodo damus vobis libertatem quod possitis promittere ad partem ad partem usque ad summam ducatorum ducentorum milium. Et denique videbitis et omnino comprehendetis quod pax et concordium non possit habere locum nisi nos contentemur ad solutiones ducatorum VII^{m}. Tunc non possendo aliter facere et

videndo vos posse obtinere omnia alia contenta in suprascriptis capitulis pro ducatis CC^m. Sumus contenti quod condescendatis ad promittendum solvere de cetero pro recognitione Dalmatie domino Regi et corone Hungarie omni anno a ducatis V^m usque VII^m prout melius poteritis et eo casu si fieri poterit non teneri ad dandum equum nec pannum aureum, et volumus quod fiat mentio in concordio quod hec solutio ducatorum VII^m fiat causa Dalmatie et nulla alia causa quam pro Dalmatia. Et quod nostra dominatio per partem adversam, videlicet dominum Regem Romanorum et Hungarie et coronam et regnum Hungarie absolvatur et liberetur a solutionibus ducatorum VII^m in quibus ipsa pars adversa dicit et pretendit nos teneri pro causis allegatis per ipsam partem adversam et que produci et allegari possent quovismodo tam pro preterito quam pro futuro, sed solummodo teneamur per novam compositionem, ut est dictum, solvere et fieri facere pro recognitione Dalmatie annuatim solutionem predictam.

Insuper si in dicta pratica requireremini de intentione nostra circa transitum domini Regis predicti pro accipiendo coronam suam in Italia debeatis respondere et offerre nostrum dominium promptum et paratum secuta pace vel treugua honorare prefatum dominum Regem et comittivam suam super territoriis nostris devote et amicabiliter ut fecimus recolende memorie genitorem suum quando simili de causa accessit in Italiam, que oblatio habeat locum sequente pace vel treugua.

Item si in dicta pratica fieret vobis mentio vel requisitio aliqua de galeis nostris contra infideles, damus vobis libertatem possendi et antequam exprimatis totam quantitatem pecunie et post et quando et sicut vobis videbitur posse prodesse nostris intentionibus suprascriptis promittere tenere in partibus Gretie a sex usque X galeas armatas nostris expensis in subsidium et favorem Christianitatis et ipsius domini Regis Romanorum et Hungarie quando et donec Sua Maiestas personaliter cum potenti exercitu erit et stabit in partibus Gretie contra infideles, declarando et ostendendo ut est rei veritas quanta gravedo et expensa nobis erit tenere tot galeas in dictis partibus et quantus favor Christianitatis et regni Hungarie, quantum damnum et incomodum cedet nostris locis confinantibus cum Turchis et etiam mer-

catoribus nostris conversantibus in locis Turchorum, que provisio galearum habeat locum si concludetur in pace.

Preterea quia in talibus et tantis tractatibus multum possunt prodesse promissiones pecunie que fierent dono vel merito personis que possint esse causa faciendi partem adversam condescendere nostre voluntati vel informare vos de intentione alterius partis, damus vobis libertatem possendi promittere et expendere in talibus personis usque quantitatem ducatorum X[m] promittendo solutionem sequendo et postquam secuta fuerit pax vel treugua.

Ceterum debeatis omnino includere in hac pace, concordio vel treugua magnificum dominum Nicolaum Marchionem estensem et magnificos dominos Karolum et Pandulfum de Malatestis et alios colligatos et recommendatos nostros.

Similiter vice versá si dominus Rex velet includere in hac pace concordio vel treugua patriam Foroiulii sumus contenti quod ponatur et includatur in ea.

Preterea quia posset occurrere quod aut dominus Rex Polonie recesisset de partibus Hungarie et dimisisset aliquos deputatos ad hunc tractatum pro parte sua, aut etiam licet foret presens in Hungaria, quia hec negotia sunt magne importantie et non ita in duobus vel tribus vel forte octo diebus posset fieri ordinata conclusio, et ipse dominus Rex Polonie non posset forte tantum ibi differre vel aliquid aliud occurreret per quod videretis et cognosceretis hunc tractatum pacis debere esse longum et aliter fieri non posse, tunc et eo casu quia iste dilationes non faciunt pro nobis, considerata magna expensa in qua sumus, damus vobis libertatem possendi condescendere ad treuguas que sint pro quam longiori tempore esse poterit, sed non pro minori tempore annorum quinque etc. ut in parte aliorum sapientum continetur. Et si non poteritis sic obtinere treuguas, attendatis ad hunc alium modum quod treugue fiant, ut dictum est, sed tamen quod dictus dominus Rex Romanorum et Hungarie restitui omnino faciat nobis terras et loca nobis ablata, et promittat pro terris Imperii sicut in suprascriptis capitulis continetur. Et quod nos teneamus omnia ea que tenemus in Dalmatia. Et si omnino volent restitui debere turres Sibenici in hac treugua, pro hoc non

desistatis facere treuguam, et ultra hoc quod nostra dominatio teneatur mutuare Sue Maiestati ducatos a L^{m} usque C^{m} solvendorum per quam longiores terminos poteritis, declarando et specificando tamen quod tam si pars adversa erit contenta pignorare nobis in hac treugua Tragurium et Sibenicum, quam non, treugua que fieret duretur tantum plus quantum ultra terminum qui erit in treugua specificatus, induciabit pars adversa restituere nobis pecunias mutuatas per formam dicte treugue.

Insuper habeatis menti si concludetis in pace vel in treugua, de faciendo fieri et rogari instrumenta in sufficienti forma et cum solemnitatibus opportunis et extendere capitula in forma necessaria et habere presertim respectum quod promissiones et obligationes partis adverse nobis fiant in his que tangunt Imperium per ipsum dominum Regem, heredes et successores suos, et in his que tangunt regnum Hungarie per ipsum ut Regem Romanorum et Hungarie, et per se, heredes et successores suos ac coronam et regnum Hungarie, et quod habeatis instrumenta autentica bullata et roborata sicut fuerit opportunum conducenda per vos Venetias ad nostri cautelam.

Verum non obstante quod preponamus vobis intentiones et voluntates nostras sub brevitate predicta, debeatis vos qui estis informati, dicere, aperire et allegare dictas nostras intentiones tempore et loco debitis, et non exeundo ab effectu et continentia suprascriptorum capitulorum, confidentes in vestris sapientiis, relinquimus secundum occurrentia postponere et preponere partita, intentiones et modos et capitula predicta secundum quod videbitis posse melius redundare nostro dominio, non transeundo tamen effectum dictarum nostrarum intentionum.

Et si secundum aliquam dictarum nostrarum intentionum poteritis obtinere, concludatis in bona gratia; quia habetis sindicatum in plena forma quem ostendere et operari poteritis quando erit opportunum. Quando vero non possetis obtinere per aliquem modorum suprascriptorum, debeatis ire et stare ubi placuerit domino Regi Polonie et nobis scribere ac informare de omnibus secutis et novis deinde, et expectare nostrum mandatum.

De parte 21 — 39.

Ser Franciscus Foscari, ser Fantinus Dandulo, sapientes guerre.

Quia est amplissime confidendum de sapientia et fidelitate nostrorum ambaxiatorum electorum ad eundum ad Serenissimum Regem Polonie pro pace tractanda inter Regem Hungarie et nostrum Dominium; et sit etiam providendum quod vadant cum tali ordine et libertate quod pax sequi possit, et quod tractatus isti non vadant in longum, consideratis expensis, damnis et interesse que quotidie nobis et statui nostro eveniunt et que per dilationem temporis augeretur, considerato etiam quod perseverante guerra non possumus modo aliquo aliquid lucrari nec aliquod damnum inferre dicto Regi Hungarie; Vadit pars quod detur libertas dictis nostris ambaxiatoribus quod factis omnibus experientiis possibilibus concernentibus utilitatem, honorem et statum nostrum circa tractatum et conclusionem pacis et concordii in habendo Tragurium et Sibenicum et alia loca que ad presens possidemus in Dalmatia usque ad summam ducatorum CC^m^ et restituente Rege loca infrascripta nobis ablata et remittente solutionem VII^m^ ducatorum pro tempore preterito et futuro non possentibus eis aliter concludere, possint promittere Regi Hungarie quod remanentibus nobis omnibus terris, castris, insulis, locis et territoriis que presentialiter possidemus in partibus Dalmatie, ac restituente nobis dicto Rege terras, castra, fortilitia et alia que per adventum gentium suarum nobis ablata sunt in tervisana et cenetense ac Feltrum et Cividadum cum pertinentiis suis, dabimus sibi usque ad summam ducatorum CC^m^ in illis terminis in quibus melius facere poterunt. Et non possentibus illis aliter facere vel concludere factis experientiis possibilibus, possint etiam promittere solutionem annuam ducatorum VII^m^ pro tempore venturo, incipiendam post conclusionem pacis quanto tardius fieri poterit, et quod de pagis preteritis liberemur et absolvamur. Item si venirent ad tractatum treuguarum, possint illas concludere et firmare pro quam longiori termino erit sibi possibile, a quinque annis supra; et non possendo illas aliter obtinere, factis experientiis possibilibus sicut de sapientia dictorum nostrorum ambaxatorum est ample sperandum et confidendum, possint conclusive illas firmare et promittere pro ipsis treuguis usque

summam ducatorum L^{m} et inde infra existentibus ipsis treuguis a quinque annis supra et non abinde infra ullo modo. Et cum predicta libertate per interpositionem domini Regis Polonie concludere possint declarando tamen quod in conclusione treuguarum nobis restituantur terre et loca predicta nobis per suas gentes ablata.

Circa alia autem tam in facto ducatorum X^{m} dispensandorum in illis personis que utiles viderentur ad obtinendam nostram intentionem, et in facto galearum promittendarum contra infideles, et in facto recommendatorum nostrorum ac in aliis que sunt extra materiam suprascriptam, habeant illam commissionem et libertatem que notata est in parte ser Nicolai Victuri sapientis Consilii. Et pro maiori informatione sua debeant eis dari copia totius partis dicti ser Nicolai.

De parte 10.

Ser Sanctus Venerio sapiens Guerre, ser Nicolaus Georgio sapiens ordinum.

Volunt quod commissio predicta ser Nicolai Victuri, detur in nota et scriptis ambaxiatoribus nostris formaliter ut informationem plenariam habeant et quod secundum continentiam et formam ipsius possint ducere tractatum ad effectum et ad bonam conclusionem. Salvo quod in aliquibus capitulis modificetur et ponatur in hac forma. Et primo quod ubi agitur mentio quod pro terris et locis Dalmatie debeat exprimi et ascendi quando aliter fieri non posset usque ad summam ducatorum CCC^{m} debeat exprimi et scribi in commissione solum de summa C^{m} ducatorum.

Secundo quod non fiat mentio nec specificetur in commissione predicta de solutione annua VII^{m} ducatorum nec appareat aliquid per scripturam sed remaneat in manibus ambasiatorum

Tercio non est opportunum facere mentionem de treuguis per modum notatum in dicta commissione, sed removeatur ipsum capitulum quoniam hic inferius denotatur capitulum observandum in facto treugue predicte.

Quarto quod ubi agitur mentio de concessione galearum in partibus Gretie, volunt sapientes predicti quod hoc capitulum ha-

beat vigorem et intelligatur debere promitti occasione recognitionis terrarum et locorum a parte terre pertinentium ad jurisditionem Imperii, et quod promissio predictarum galearum sit solum pro una vice tantum et per tempus mensium sex.

Et si non possetis devenire ad conclusionem per modos specificatos in ipsa commissione, facta per vos omni possibili experientia, volumus hanc esse nostram finalem intentionem videlicet quod dimissis nobis civitate Jadre et omnibus terris et locis quas et que tenemus et possidemus ad presens in Dalmatia, cum juribus, jurisdictionibus, pertinentiis etc. salvo quod de turribus Sibenici possitis disponere secundum quod melius apparebit posse sequi in tractatu et pratica concordii, nec non etiam restituendo terras et loca que nobis ablata fuerunt et quas amisimus in tervisana et cenetense, Feltro et Cividado, ac confirmando in feudum civitates et terras quas tenemus pertinentes ad jurisdictionem Imperii in partibus Lombardie habeatis plenam libertatem, arbitrium et autoritatem in quibuscunque et omnibus aliis rebus, intelligendo de pertinentibus ad dictam materiam, secundum quod sapientiis vestris melius videbitur ac cognoveritis fore de pluri honore nostri dominii, et minori expensa nostra; in quo facto debeatis advertere diligenter quod res non sint excessive cum periculo status nostri. Predictam autem libertatem et autoritatem vobis damus in casu quo vos ambo ambaxiatores sitis concordes; si autem essetis differentes in opinione, debeatis subito nobis significare omnia secuta et pratica ac differentiam vestram, ut possimus vobis presto denotare mentem et intentionem nostri dominii.

Bene recordamur vobis quod per adversam partem possent vobis fieri alique peticiones et requisitiones tantum excessive quod non videretur vobis ullo modo exequendum ad tractatum conclusionis pacis cum talibus excessivis pactis et petitionibus, et proponeretur vobis sive videretur vobis proponendus tractatus treugue, sumus contenti quod procuretis intrare, facere et concludere treuguam per tempus quam longius poteritis, quod videre nostro non vellet esse ad minus annorum XV. Ac restituendo nobis terras et loca nobis ablata, et que ammisimus in tervisana, cenetense, Feltro et Cividado ac reddendo nos sibi turres Sibe-

nici, expendendo in hoc quanto minus poteritis et quam pluri honorem nostri dominii, et tantum plus et tantum minus in quantitate pecunie quantum erit brevitas vel longitudo temporis treugue ad quam deveniretis.

Et in omni casu quo remaneant de terris et locis Dalmatie in manibus et potentia domini Regis, debeat procurari quod non dabit receptum, transitum etc. in portubus nec terris illis nostris inimicis vel volentibus venire ad damna nostra.

De parte 18.
De non 4.
Non sinceri 9—13.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Senato Secreti, Reg. V, c. 13—15.)

XIV.

MCCCCXII. die X. Maii.

(Ser Nicolaus Victuri Sapiens Consilii, ser Johannes de Caresinis Sapiens ordinum).

Cum per expositionem venerabilis viri magistri Pauli ordinis heremitarum qui rediit nuper ambaxator a Serenissimo domino Rege Polonie, videamus clare eundem magistrum Paulum multum traxisse de mente, et intentione domini Regis, qui large apparuit sibi mentem suam, et ulterius requisivit ut ipse magister Paulus reverteretur ad dictas partes; et considerato, quod idem est multum optime informatus de agendis et juribus nostri dominii, quoniam alias in Hungaria, et nunc in ista ambassiata omnia praticavit, bonum et utile sit remittere eundem ad partes Polonie, ut sit cum nostris ambaxatoribus dicta de causa; vadit pars, quod idem magister Paulus remitti debeat ad dictas partes cum infrascripta commissione.

Nos Michael Steno Dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus vobis venerabili viro, magistro Paulo ordinis heremitarum et sacre theologie professori, quatenus cum rediveritis noster ambaxator a Serenissimo domino Rege Polonie, et nobis multa de intentione prefati domini Regis exposueritis, debeatis idcirco

tanquam optime informatus de agendis nostris, reverti noster honorabilis ambassiator ad ipsum dominum Regem Polonie, in quibus partibus repperietis nostros solemnes ambassiatores nobiles viros, ser Tomam Mocenigo, et ser Antonium Contareno, ad quos debeatis primo vos presentare, et informare de causa qua vos misimus, et ostendere hanc vestram commissionem. Et dum fueritis ad presentiam prefati domini Regis, presentatis nostris literis credentie, facietis eidem parte nostri dominii honorabiles et convenientes salutationes, offerendo nos, et statum nostrum, ad omnia que concernant honorem, et status sui votivum incrementum, cum verbis reverentibus et condignis sue Regie Maiestati.

Subsequenter exponetis, quod in reditu vestro Venetias, nostro dominio exposuistis omnia ea, que sua regia Maiestas commisit vobis, explicanda nobis, sub literis credentie regiis, particulariter et distincte, et illa ac omnia contenta in literis suis regiis comprehendimus et intelleximus diligenter, et cum maxima cordis affectione. Et audientes, quod in conclusione concordii initi inter Serenitatem suam, et dominum Regem Hungarie, in quo facte sunt promissiones ad invicem de essendo contra inimicos partium ipse dominus Rex Polonie, ex clarissimo motu proprio, voluit excludere nostrum dominium, quod certe extitit maximum amoris indicium, ac insuper animadvertentes Serenitatem suam, tanto zelo caritatis, et optimi desiderii motam esse, circa pacis beneficium, et concordie unitatem, inter comunes amicos suos, obligamur sue regie Maiestati reddere gratiarum infinitas actiones quod videamus illam, cum tanta humanitate et dulcedine voluisse, et velle se interponere differentiis et discordiis existentibus inter Serenissimum dominum Regem Hungarie, et dominium nostrum, et ulterius non sine magno ministerio, et sincerissimo proposito bone voluntatis apparuisse mentem suam regalem, circa votivam quietis et pacis conclusionem, et ut nobis verbo retulistis cum modo et forma, que sit cum honore nostri dominii, de quibus verbis sumus magis certi, et magis clarissime cognoscimus conceptum et desiderium suum. Et exinde cepimus et capimus tantam latissimam confidentiam in regiam Maiesta-

tem et maximam sapientiam et virtutem suam, quantum et plus, quam in aliquem alium principem mundi. Et bene apparet veritas, quoniam existente tractatu isto, in manibus Summi Pontificis, qui electus fuerat mediator et interpositor differentiarum predictarum, ecce consensimus, et fuimus contenti, pervento nuncio suo, Thoma de Diaco, ad nostrum dominum, illico eligere nostros solennes oratores, et illos sine litera evidenti salviconductus sue Maiestatis, nec Regis Hungarie, destinare ad suam regiam Maiestatem, per territoria aliena, et domini Regis Hungarie, confidentes solummodo in notificatione nobis facta, et verbo nuncii sui dicti, propter que, ac propter relata nobis per vos parte regia, requirente nos de reversione vestra, providimus vos in nostrum ambaxiatorem remittere, ad conspectum sue regie Maiestatis, ut ibi sitis simul cum ambaxiatoribus nostris, ad tractandum et praticandum super facto differentiarum predictarum; quoniam alias fuistis in similibus praticis, et tractatu, quamvis simus certi, quod iam regia Maiestas sua dederit principium pratice, et procuraverit omne id quod potuerit comprehendere fore quietis et pacis inter partes, et sic conabitur tanquam Christianissimus Princeps reducere rem ad talem conclusionem, que sit cum laude Dei, gloria, et fama sue Maiestatis, et tranquillitate, ac honore nostri dominii.

Et sic subsequenter esse debeas cum nostris ambasiatoribus ad tractandum, praticandum, proponendum in omnibus, que possint facere et cedere ad confirmationem nostrorum jurium et bonum agendorum nostrorum, sicut de virtute et prudentia vestra confidimus, quibus ambaxiatoribus scribimus per nostras literas, super dicta materia, secundum quod nobis apparuit expediens fore. Vos autem debeatis prefatos nostros ambaxiatores informare de omnibus, et quibuscunque vobis dictis per dominum Regem Polonie, et commissis, ut nobis exponeritis, ac aliis praticatis et ratiocinatis secum et cum aliis, in partibus deinde, dum ibi stetistis noster ambaxiator, ut de omnibus sint plenissime advisati.

De parte 33 — 45 — 46 — 40.

(Sapientes Consilii et Sapientes Guerre).

Ser Rossus Marino, ser Iohannes Mauro, ser Franciscus Cornario, Sapientes Consilii; — ser Franciscus de Bernardo, ser Franciscus Foscari, ser Fantinus Dandolo, Sapientes Guerre.

Volunt quod dictis respectibus et occasionibus mittatur magister Paulus predictus, sed ulterius, quia dominus Rex Polonie, dixit magistro Paulo, quod bonum esset, ut mitterentur per nos etiam aliqui doctores juriste, qui scirent et possent interesse et substinere jura nostri dominii, pro meliori comodo et avantagio agendorum nostrorum, quod mitti debeat simul cum magistro Paulo unus alter noster doctor, qui videbitur Collegio, qui sit cum dicto magistro Paulo, et cum nostris ambassiatoribus, ad exequendum, secundum quod per Collegium sibi mandatum fuerit.

De parte 16.

(Ser Sanctus Venerio Sapiens Guerre, ser Nicolaus Georgio Sapiens ordinum).

Volunt partem differendi, sed quod debeat scribi per ziffram ambaxiatoribus nostris, et denotari debeat omnes informationes et declarationes habitas a magistro Paulo, quod nuper venit de partibus Hungarie.

De parte 40 — 40 — 43 — 48.
De non 0.
Non sinceri 4 — 9 — 5 — 5.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. V, carte 22 t.)

XV.

MCCCCXII. die XIII. Maii.

Capta.

Quod scribatur ambaxiatoribus nostris in partibus Polonie existentibus, in hac forma.

His diebus elapsis applicuit Venetiis venerabilis magister Paulus ordinis heremitarum, orator noster, rediens a Serenissimo domino Rege Polonie, qui aliqua tam sub litera credentie ipsius domini Regis quam alia multa pro nostra informatione et advisamento, nobis oretenus reportavit. Et considerantes quante importantie, ac utilitatis esse possent ea que sensit, et habuit de

mente et intentione prefati domini Regis, et disputationes ac colloquia habita et praticata insimul super materia, et continentia vestre commissionis deliberavimus substantiam et effectum rerum nobis significatarum vobis notificare et declarare, ut habita et scita informatione de talibus postea in executione vobis commissorum, possitis intrare, procedere, et finire cum respectu debito, et cum modo et forma, que sit in maius avantagium honoris et comodi nostri status. Primo enim recordatum est nobis, ut vos advisemus, quod intentionem nostri dominii non exprimatis tam cito in promissiones pecuniarias, nisi primitus videretis habiliter non posse aliud facere. Item quod fiat petitio per vos de Sibenico et Tragurio propter emptionem factam, et perpetuam pacem, ac evitationem scandalorum. Fiat etiam de quietatione septem millium ducatorum propter portus. Fiat etiam petitio de restitutione terrarum amissarum, quia hoc intelligitur semper facta pace, et quia territorium nostrum non esset tutum. Item fiat de confirmatione terrarum imperialium absque recognitione, propter pecunias multas expensas et propter alias secutas, et continue sequendas, pro liberatione fidei christiane, et contra Turchos in armatis galearum nostrarum. Et ulterius quia erant in manibus tiranorum attentantium contra statum nostrum.... Preterea assertum est nobis quod dominus Rex Hungarie procuravit predictam pacem, ymo introduxit Regem Polonie, ut esset mediator. Et quod Rex predictus Hungarie contentatur habere pacem nobiscum, sicut voluerimus, videlicet, aut per amicabilem concordiam, aut per viam litis, et quod quemlibet istorum modorum, ipse dimittit et committit in pectore Regis Polonie, acceptando quodlibet suum judicum pro eo, et contra eum, et dominus Rex Polonie etiam super hac parte, quod Rex Hungarie omnia dimittit decisioni sue, nobis scripsit, et confirmat per eius literas. Et propterea si requireremini a domino Rege Polonie, vel parte sua, ut fieret compromissum in personam suam, et quod daretur sibi libertas plena, dicimus vobis, quod hoc non est faciendum ullo modo, tam libere et absolute, sed dicatis, quod in hoc nullam habetis libertatem. Et si requireret, ut mitteretur acceptum libertas, dicatis quod hoc esset maxima temporis dilatio, cum damno et sinistro partium. Et propterea tanquam amicabilis

compositor potest amicabiliter ducere partes ad concordium, et quietem, tanquam sapientissimus et virtuosus princeps. Item assertum est nobis dominum Regem Polonie dixisse Regi Hungarie, quod eius intentio, ob hanc guerram nostram impeditur, que eius intentio esset guerrizare contra infideles, et nisi fiat pax nobiscum, male contra infideles posset aliquid obtineri, propter potentiam nostram maritimam. Item quod dominus Rex Polonie promittit tractare, et facere pacem cum honore nostri dominii. Ideo quod fiant petitiones domino Regi, et non tam cito promissiones pecuniarie, et quod contentabitur, ut habeamus Tragurium, et Sibenicum. Et sicut per alias vos informavimus de significatis nobis per ambaxiatores nostros de Roma habuimus, quod dominus Rex Hungarie contentaretur nobis dimittere terras omnes Dalmatie, facere remissionem ducatorum VII^{m}, restituere terras ablatas nobis. et confirmare nobis terras pertinentes Imperio sicut vos informavimus etiam per duplicatas literas nostras, omnia predicta pro summa ducatorum CC^{m} quod concordatur cum verbis Regis Polonie, qui apparuit remanere contentus, quod remanentibus nobis terris Dalmatie, restituendo nobis terras amissas, et confirmatis terris Imperii, omnia hec fieri possent pro promissione denariorum. Postremo recordavit nobis magister Paulus, ut non capiatur aliqua confidentia de domino Cardinali Brande, quia videtur in nullo diligere dominium nostrum, sed quod de Cancellario Regis Polonie, qui videtur multum dispositus, ad honores et comoda nostra potest capi optima confidentia. Hec enim ad cautellam providimus ut est dictum vobis distincte notificare, pro advisamento et informatione vestra, et ut pro maiori claritate, et evidentia predictorum, possitis exequi formam et continentiam conmissionis vestre, mandando quatenus tam nomine informatoris suprascripti, quam alia tenere debeatis secretissima penes vos.

De parte 83.
De non 3.
Non sinceri 4.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 5, carte 23.)

XVI.

MCCCCXII. die XV. Maii.

Capta.

Cum per ea que sentimus de curia, a nostris ambassiatoribus, dominus Papa cum maxima instantia scripsit et procurat, cum domino Rege Polonie, ut se interponat ad pacem inter Regem Hungarie, et nostrum dominium, et similiter cum multis hortaminibus, procurat et instat, ut Rex Hungarie velit condescendere ad pacem, pro bono statu ecclesie Dei, Et ipse dominus Papa sit multum contentus, quod factum ipsius pacis tractetur in partibus Hungarie, et videamus quod amodo tractatus ipsius pacis est futurus in Hungaria, et non in curia, ita quod nostri ambaxiatores veniunt stare cum expensa maxima sine fructu; Vadit pars, quod scribatur, et mandetur nostris ambaxiatoribus, quatenus accepta condigna, et reverenti licentia, et comeatu a Summo Pontifice, et a dominis Cardinalibus, cum illis verbis que sibi convenientia videbuntur, regratiando sanctitati sue, de optima dispositione, et intentione sua, que ut cognovimus, et cognoscimus evidenter esset, nos posuisse in pace et tranquillitate et sumus certissimi quod non defecit pro beatitudine sua, sed videndo, quod ambaxiatores Regis non habent sindicatum super omnibus differentiis, et quod hoc factum praticabitur apud dominum Regem Hungarie qui libere se dimisit in dominum Regem Polonie, fuimus contenti condescendere ad tractatum ducendum in partibus Hungarie suprascriptis. Et hoc facto revertantur Venetias ad nostram presentiam de omnibus plenissime informati.

De parte 58.

Ser Sanctus Venerio Sapiens guerre vult quod inducietur usque quo ambaxiatores nostri Hungarie scribent.

De parte 22.
De non 0.
Non sinceri 2.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 5, carte 23.)

XVII.

MCCCCXII. die XXIII. Junii.

Quod scribatur Serenissimo domino... Regi Polonie in ista forma, videlicet:

Principalis dos a deo data principibus, ultra intellectivam animam esse dignoscitur ipsa clementia qua venerantur maiores, minores letam vitam ducunt equales stant terminis suis contenti, justitia locum suum habet, et breviter vitantur scelera, et humane creature sopito odio ad caritatem reducuntur, qua virtute cessante, nedum minima ruunt, sed nullum tantum regnum aut dominium est, quod sui ponderis, gravius, et periculosius onus non sentiat. Quibus consideratis, et quia tum fama publica referente, tum ipsa experientia approbante, ipsa talis virtus presertim est insita, et radicitus conexa excellenti vestro animo, visis et lectis literis vestris regiis, inducentibus, et hortantibus nos ad pacem cum Serenissimo Rege Romanorum, et Hungarie, et concludentibus ut daremus fidem relatibus prudentis viri Thome de Diaco, qui nos vestri parte oretenus requisivit, ut mitteremus nostros oratores ad vestram presentiam, dando nobis plenam spem dicte pacis confestim cum magna confidentia, duos nostros oratores solemnes, cum suffitienti libertate transmisimus in Hungariam, non obstante, quod alii duo nostri oratores forent apud Summum Pontificem, pro tractanda pace predicta, ubi erat etiam unus ambassiator domini Regis Hungarie predicti, causa predicta. Etiam per alios multos principes et prelatos requisiti fuimus, quibus omnibus respondimus esse promptos ad pacem, postpositis expensis, laboribus, et periculis quibuscunque quod quidem est signum, et testimonium nostri pacifici animi patentissimi. Et insuper audivimus, et scivimus per relationem ipsorum nostrorum ambaxiatorum, qui nuper ad nos reversi sunt, optimam dispositionem vestre Maiestatis, ad interpositionem pacis, et quantum fuere benignissime visi, et acceptati, a vestra clementia; cui exinde referimus gratiarum uberrimas actiones. Sed quia modi tenti in licentiando eos, et in non permittendo eos libere, et aperte cum quolibet conversari, uti consuetum est fieri et concedi omnibus

oratoribus, et in non consentiendo, quod nobis rescriberent aliquid pro expectando nostrum mandatum, que omnia sumus certissimi, displicuerunt vestre clementie, certe loquendo cum reverentia non fuerunt, nec sunt signa nolendi videre expersionem sanguinis christiani, non possumus non mirari de tali tractamento, non dubitantes etiam non minus admiratam fuisse vestram Serenitatem, quam certi sumus habere memorie ea, que vestra clementia precepit venerabili magistro, fratri Paulo nostro oratori, nobis vestra parte dicenda, dolemus etiam, et displicentiam non parvam sensimus, quod Serenissimus dominus Rex Romanorum et Hungarie, noluerit ostendere etiam clementiam suam ad pacem nobiscum, quia si voluisset, quod vestra grandis sapientia particulariter audisset, et examinasset jura nostra, et bonam atque pacificam intentionem nostram, vestra Serenitas vidisset et cognovisset mentem et dispositionem nostram esse promptam et paratam ad pacem bonam, sicut etiam sumus ad presens, et semper erimus, ut non spargatur sanguis christianorum; quia vestra excellentia plene cognoscit quod divisio christianorum est leticia, et augmentum infidelium, unum tamen affert nobis non modicum solamen; quia Summo Pontifici, vestre Maiestati, et toti mundo patet, pro nostro dominio non deficere, quin pax bona sequatur, hec volumus devote Vestre Serenitati scribere, ipsam certificando, quod perseverante dicto Serenissimo domino Rege Romanorum et Hungarie in guerra nobiscum, quia invocavimus altissimum ad adiutorium nostri status, et nostre honestatis, et bone voluntatis ad pacem, speramus, quod divina sapientia nostre defensioni, et obstaculo querentium nostrum exterminium providebit; quia nil aliud semper quesivimus, quam quietem et conservationem dilectionis, quam experientiam ostendimus erga prefatum illustrissimum dominum Romanorum et Hungarie Regem, dum regno Hungarie, et sue Serenitati fuit opportunum, offerentes nos cum sincera mente ad quelibet vestre Maiestati accepta pariter, atque grata.

De parte 5.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. V, carte 33.)

XVIII.

MCCCCXII. die XXV. Junii.

Capta.

Domino Regi Polonie.

Per reditum nobilium oratorum nostrorum nuper a presentia Vestre Maiestatis redeuntium, fuimus latissime informati, quantum benigne, quantumque laboriose vestra Serenitas, veluti avida tranquillitatis et pacis pro universali bono totius Christianitatis et pro confusione infidelium, ad quorum ruinam omnes christicole vigilare deberent, operata fuerit regias partes suas pro pace ponenda inter Serenissimum dominum Sigismundum Romanorum et Hungarie Regem, et nostrum dominium, que pax pro presenti propter magnas petitiones dicti Serenissimi domini Regis Sigismundi, conclusionem quam nostrum dominium sperabat, et que toti Christianitati utilis et proficua fuisset, habere non potuit, quod non defectu nostro processit, quia imitantes mores progenitorum nostrorum semper optavimus pacem sequi, et pacificum ac naturale propositum nostrum sequentes, a via quietis et pacis nunquam deviabimus. Retulerunt etiam ambassiatores predicti quantum honorifice vestra Maiestas eos vidit et gratiose tractavit, pro quibus illas quam devotiores actiones gratiarum possumus, Serenitati vestre referimus, offerentes nos nostrumque dominium ad ea que sint honoris et exaltationis Maiestatis vestre, devote paratos.

De parte 44 — 66.
De non 22.
Non sinceri 9 — 13.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 5, carte 36.)

XIX.

MCCCCXVIIII. die XIII. Augusti.

Ser Rossus Marino, ser Marinus Karavello proc., Sapientes Consilii.

Quod fiat commissio circumspecto viro Francisco de la Siega notario nostro in hac forma.

Francisce, mandamus tibi quod simul cum venerabile viro domino Thoma de Diaco nuntio Serenissimi domini.. Regis Polonie, ire debeas ad presentiam dicti Serenissimi domini Regis Polonie cum nostris literis credulitatis et presentatis sue Serenitati literis nostris predictis, et facta devota et amicabili salutacione, cum verbis pertinentibus et necessariis, sicut honori Sue Serenitatis, et nostri dominii videbis convenire, debeas dicere et exponere, quod per venerabilem virum dominum Thomam de Diaco, nuntium suum quem ad presentiam nostram misit, cum literis suis, fuimus informati, quod idem Serenissimus Rex, vigilans ad bonum et pacificum christianitatis, fuerat cum Serenissimo domino Romanorum et Hungarie Rege, eique dixerat, quod pro bono christianitatis volebat se interponere, inter dictum Serenissimum dominum Regem Romanorum et Hungarie, et nostrum dominium, quia boni amici sui eramus, et facere treuguas per aliquos annos, ut postea posset Serenitas Sua, inter ipsum et nos facere bonam pacem, et quod dictus Serenissimus dominus Romanorum et Hungarie Rex fuerat contentus, quod Serenitas Sua esset mediatrix ad faciendum treuguas inter partes, et hortatus fuit nos idem dominus Thomas ex parte Sue Serenitatis ut mitteremus aliquem ex nostris ad presentiam suam causa predicta. Qua requisitione audita, deliberavimus te mittere ad presentiam suam, ad declarandum et certificandum Serenitatem Suam predictam quod per elapsum cognovimus et vidimus dictum Serenissimum dominum Regem semper fuisse optime dispositum erga nostrum dominium, et hoc effectualiter demonstravit, et ad presens demonstrat, pro qua bona intentione et dispositione sua, Serenitati Sue refferimus uberimas actiones gratiarum. Et subiungas, quod nostra dominatio semper desideravit et desiderat, cum quibuscunque christianis pacifice vivere, et specialiter cum dicto Serenissimo domino Romanorum et Hungarie Rege. Et pro habenda pace, seu treuguas secum quotiens miserimus ambassiatores nostros ad diversas partes mundi, notorium est Serenitati Sue. Et licet hucusque ad aliquam conclusionem, cum dicto domino Rege Romanorum non potuerimus pervenire, tamen intel-

lecta bona intentione sua, misimus te ut superius continetur ad presentiam sue Serenitatis cum mandato ad plenum, possendi ad treuguas venire ex parte nostri dominii, cum Serenissimo domino Rege Romanorum et Hungarie predicto. Pro quibus treuguis tractandis, et concludendis debeas te offerre dicto domino Regi, de essendo cum Sua Serenitate et cum quibuscumque aliis, quos deputabit pro bona conclusione treuguarum predictarum.

Expositis autem predictis dicto Serenissimo domino Regi Polonie, si Serenissimus dominus Rex Romanorum et Hungarie esset apud dominum Regem predictum, volumus quod ad presentiam suam comparere debeas, cum nostris literis credulitatis quas tibi fecimus exhiberi, et facta recommendatione debita, sicut honori suo et nostro, cognoveris pertinere, Sue Serenitati expones, quod Serenissimus dominus Rex Polonie per nuntium suum dominum Thomam de Diaco, exponi fecit nostro dominio, quod pro bono christianitatis disposuerat se interponere, inter Maiestatem Suam, et nostrum dominium, pro treuguis fiendis, inter partes, de qua interpositione Serenitas Sua fuerat contenta, et ob hoc requisivit ut aliquem ex nostris ad presentiam suam mitteremus, ob quam requisitionem dispositi cum quibuscumque pacifice vivere, et potissime cum Sua Serenitate misimus te ad presentiam dicti Serenissimi domini Regis Polonie, secundum requisitionem suam, cum libertate ad plenum, possendi ad treuguas venire. Et propterea eris paratus ad praticam dictarum treuguarum venire, ut deo dante possint ad bonam conclusionem deduci. Si vero antequam ires ad presentiam dicti domini Regis Polonie, invenires in itinere dictum dominum Regem Romanorum, et cum honestate evitare non posses de essendo ad presentiam suam, volumus quod in isto casu, compareas ad presentiam suam, et exponas verba suprascripta, et expositis verbis predictis, postea ire debeas ad presentiam domini Regis Polonie predicti.

Et quia reddimur certi, quod Serenissimus dominus Rex Polonie, volet intrare ad praticam dictarum treuguarum, et volet scire intentionem nostram super hoc, ut ad dictam praticam intrare possis, volumus, et sic tibi mandamus, quod tu debeas procurare, instare et solicitare, quod fiant treugue inter partes

per annos quinque, in illa forma, modis, et conditionibus, cum quibus tractate fuerunt, et scripte, treugue praticate Constantie, per nostros ambaxatores, quarum copiam tibi dari fecimus pro tua informatione, et similem copiam habere debet Serenissimus dominus Rex Romanorum predictus. Et ad concludendum dictas treuguas per annos quinque, debeas adhibere omnem operam et solicitudinem tibi possibilem. Sed quia in dictis treuguis ex parte domini Regis positus est, dominus Dux Mediolani, et ex parte nostra dominus Cabrinus Cremone etc. si super hoc caderet dificultas, quia dominus Rex Romanorum vellet includere ex parte sua dominum Ducem Mediolani, et nolet quod includeretur dominus Cremone, sumus contenti, quod ad hoc condescendas, ut ob hoc non restet conclusio dictarum treuguarum. Et si dictus dominus Rex velet quod ambo excluderentur a treuguis predictis sumus contenti, quod ambo excludantur. Verum volumus, quod in dictis treuguis ponatur ex parte nostra Comunitas Civitatis Austrie, quia sic dicte comunitati promisimus, per pacem quam nuper cum dicta comunitate fecimus.

Quando autem dictas treuguas obtinere non posses, quia alias fuit facta obligatio galearum nostrarum in subsidium dicti Regis contra Turchos, et de tali subsidio nostrarum galearum, tibi fieret aliqua peticio, ut ob hoc non restet conclusio dictarum treuguarum, damus tibi libertatem possendi promittere dicto Regi a sex usque decem galeas armatas, tenendas nostris expensis, contra Turchos, in subsidium dicti domini Regis, quando erimus certificati, quod cum potenti exercitu receserit de partibus Hungarie, et erit cum dicto suo exercitu, in partibus Romanie, et ipsas in strictu Romanie tenere ad oppressionem dictorum Turchorum, tanto tempore, quanto in dictis partibus Romanie stabit, cum exercitu suo. Et quod hec nostra promissio habeat locum una vice tantum tempore dictarum treuguarum.

Insuper quia dictus dominus Rex alias ambassiatoribus nostris in partibus Constantie porrexit capitula quatuor, que reformavimus, et illa commisimus ambaxiatoribus nostris, qui iverunt ad partes Salcisburgi, et secundum relationem dictorum ambassiatorum, de dictis quatuor capitulis, Rex solummodo men-

tionem fecit de uno, et posset occurrere, quod dictus dominus Rex tibi faceret mentionem de dictis capitulis; volumus quod si hoc occurreret, possis ad unum vel ad omnia quatuor condescendere, secundum reformationes per nos factas, quorum capitulorum in forma, qua illa reformavimus, copiam tibi dari fecimus, pro tua informatione.

Et quia in treuguis predictis continetur, quod quelibet dictarum partium teneat et possideat totum id quod tenet et possidet, habeas ad hoc advertentiam, quod partes teneant et possideant totum id quod tenebunt et possidebunt usque diem publicationis dictarum treuguarum, fiende, a partibus, qui dies publicationis statuatur et limitetur.

Sed quia posset occurrere, quod dominus Rex Romanorum et Hungarie, non esset contentus, quod Civitas Austrie ponatur ex parte nostra in treuguis predictis, sed volet quod ponatur cum patria Foro Julij ex parte sua, facta per te omni instantia possibili, quod ponatur ex parte nostra; et si hoc obtinere non posses, debeas proponere hunc modum. Quod comunitas Civitatis Austrie ponatur ex parte Regis, cum patria Foro Julij, hac conditione, quod dictus dominus Rex promittat nullam novitatem, guerram, vel molestiam inferre, nec inferri facere, per dominum pathriarcam Comunitatis Utini, vel alios, dicte comunitati Civitatis Austrie. Et si tempore dictarum treuguarum, aliqua novitas, guerra, vel molestia fieret comunitati predicte, liceat nostro dominio dictam comunitatem defendere et adiuvare, contra quoscunque. Et ob hoc non intelligantur treugue violate, sed firme et valide remaneant.

Et si per modos declaratos superius, poteris concludere, in bona gratia concludere debeas, et procura quod fiant instrumenta necessaria. Si vero aliqua differentia occurreret, seu alie peticiones tibi fierent, debeas respondere, quod dominium nostrum non putabat, quod ultra contenta in dictis treuguis praticatis deberent fieri alie peticiones, super quibus nullum habes mandatum sed dictas peticiones scribes nostro dominio, et expectabis nostrum mandatum et sic facere debeas, scribendo nobis differencias et peticiones, que tibi fierent, et expectando nostrum mandatum.

De parte 48. 81.

Ser Fantinus Michael, ser Antonius Contareno proc., ser Franciscus Fuscari proc., Sapientes consilii; ser Andreas Iustiniano, ser Andreas Contareno, ser Thomas Michael, Sapientes guerre; et ser Andreas Griti, Sapiens ordinum.

Volunt Commissionem suprascriptam per totum, cum capitulo infrascripto videlicet.

Si vero dictas treuguas per dictum tempus quinque annorum obtinere non posses, damus tibi libertatem condescendendi ad annos quatuor, et ultimate ad annos tres, et non pauciores, quando aliter facere non posses, faciendo illas per modos superius expressos.

De parte 46, 58.

Ser Georgius Cornaro, Sapiens guerre.

Vult. Quando autem dictas treuguas, per modos superius expressos, concludere non posses, quia alias peticiones faceret et vellet intrare in novas praticas, debeas respondere, quod nostrum dominium te miserat solummodo ad confirmandum et concludendum dictas treuguas praticatas Constantie, et non ad faciendum novas praticas, quia si habuissent intentionem faciendi novas praticas, misissent suos ambassatores solemnes, et quod tu non habes aliud mandatum. Et postquam nolunt dictas treuguas confirmare, tu redibis ad presentiam nostram et reportabis suam intentionem et nostrum dominium providebit prout erit necessarium, et ita facere debeas veniendo Venetias de omnibus informatus. Subiungendo dicto Serenissimo domino Regi Polonie, quod quotienscunque Serenissimus dominus Rex Romanorum se disponet ad condescendendum, ad res iustas et rationabiles, Serenitas Sua inveniet nostrum dominium dispositum et paratum ad mittendum suos ambaxiatores, quo fuerit necessarium, pro pacifica conclusione ponenda inter partes.

De parte 33.

Ser Lucas Donato, ser Anthonius de Canali, ser Anthonius Venerio, ser Jeronimus Contareno, Sapientes ordinum.

Volunt. Quod dictus Franciscus procurare debeat et solicitare, de faciendo treuguas per annos quinque, cum modis et con-

ditionibus contentis in parte aliorum Sapientum. Et si dictus dominus Rex ad hoc non contentaretur, debeat condescendere ad annos quatuor, et si ad annos quatuor condescendere nolet, scribere debeat differentias occurrentes, et expectat nostrum mandatum. Verum si eidem Francisco fieret peticio denariorum, detur libertas eidem Francisco dimittendi in libertate Regis, eligendi treuguas per illud tempus, quod videbitur dicto Regi, non possendo eligere pro minori tempore annorum quatuor, nec pro maiori tempore annorum decem. Et promittere pro illis annis, quibus faciet treuguas predictas, ducatos decemmillia pro quolibet anno, mutuo et nomine mutui dandos et mutuandos, in hunc modum videlicet: quod si eliget tempus annorum quatuor, mutuabimus eidem ducatos quadraginta millia, et sic successive plures, in ratione ducatorum X^m in anno, secundum annos quibus volet faceret treuguas usque ad dictum tempus annorum decem, quos denarios ante expirationem dictarum treuguarum idem dominus Rex restituere debeat nostro dominio contatos, vel per alium modum, de quo nostrum dominium remaneat contentum. Et si ante expirationem dictarum treuguarum non restituet denarios predictos, dicte treugue tanto plus durare debeant, quantum stabit ad restituendum denarios predictos, et per unum vel duos annos post restitucionem denariorum predictorum, quos denarios dicto domino Regi per illos quam longiores terminos poterit, promittere debeat.

De parte 1.
De non 4.
Non sinceri 7—5.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 7, carte 99 t°.)

XX.

MCCCCXVIIII. die IIII. Augusti.

Comparuit ad presentiam nostram venerabilis vir dominus Thomas de Dyaco nuntius Serenissimi domini Regis Polonie cum literis suis credulitatis, et nostro dominio exposuit, quod dictus

Serenissimus dominus suus, fuerat insimul cum domino Rege Romanorum et Hungarie, pro factis suis, que agere habet, cum illis de Prusia cui Regi Romanorum, idem dominus Rex Polonie, omnia negotia inter ipsum et illos de Prusia existentia, contentus erat committere, et quod hoc non potuerat habere effectum. Et subiunxit, quod dictus dominus Rex Polonie, dixerat prefato domino Regi Hungarie, quod pro bono Christianitatis volebat se interponere inter dictum dominum Regem Romanorum et Hungarie, ac nostrum dominium, et inter ipsum et nos, qui eramus sui boni amici facere treuguas per aliquos annos, ut postea posset inter dictum Regem Hungarie et nos ponere bonam pacem. Et quod dictus Rex Hungarie fuerat contentus quod esset medius ad faciendum treuguas, et rogavit nostrum dominium, ut vellimus aliquem ex nostris mittere ista de causa, ad presentiam suam, ut possit dictas treuguas per duos vel tres annos facere. Et faciat pro nostro dominio si possibile est experiri per omnes modos et vias possibiles, venire ad treuguas cum dicto Rege Romanorum. Vadit pars, quod respondeatur dicto domino Thome, quod per elapsum, cognovimus et vidimus Serenissimum dominum suum dominum Regem Polonie, semper esse optime dispositum erga nostrum dominium, et hoc effectualiter demonstravit et demonstrat ad presens. Et sue Serenitati, de tam bona intentione sua, referimus dignas grates. Et dicimus quod semper desideravimus et desideramus, cum quibuscunque pacifice vivere, et specialiter cum dicto Serenissimo domino Rege Romanorum. Et pro habenda pace secum, aut treuguas, quotiens miserimus nostros ambassiatores ad diversas partes, notorium esse potest dicto Serenissimo domino Regi Polonie, Et licet hucusque ad conclusionem aliquam, cum dicto domino Rege Romanorum, non potuerimus pervenire; tamen audita bona intentione dicti Serenissimi domini Regis Polonie unum notarium nostrum fidum deliberavimus ad presentiam sue Serenitatis destinare. Cui super facto dictarum treuguarum committemus intentionem nostram, et eundem secum ad presentiam dicti Serenissimi domini sui transmittemus, quem prestissime expediemus, ut secum ire possit.

Et ex nunc sit captum quod mitti debeat cum dicto domino Thomasio prudens vir Franciscus de la Siega notarius no-

ster super facto dictarum treuguarum, qui de istis factis est optime informatus cum illa commissione que terminabitur per istud consilium.

De parte 87.

Ser Georgius Cornario sapiens guerre Vult, quia istud factum quod tractatur, de mittendo unum ex nostris notariis cum isto nuntio Serenissimi domini Regis Polonie est magne importantie factis nostris, circa quod est habenda bona advertentia; Vadit pars, ut superinde possit considerari, quod differri debeat usque cras, et quod die crastino vocetur istud consilium ista de causa.

De parte 50.
De non 4.
Non sinceri 3.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 7, carte 99.)

XXI.

MCCCCXVIIII. die primo Septembris.

Quod scribatur circumspecto viro Francisco de la Siega notario nostro in partibus Carchovie in hac forma.

Francisce. Tenemus certe, quod tempore receptionis presentium literarum nostrarum, fueris in pratica cum illis Serenissimis Regibus de treugua tractanda. Et in casu quo conclusionem ipsius treugue per quinquenium ut tibi est commissum fecisses vel posses facere, debeas in bona gratia firmare et concludere dictam treuguam, cum modis tibi commissis. In quantum autem non fecisses dictam conclusionem treugue pro quinquenio, nec sperares predictam treuguam quinquenii obtinere, et per praticam habitam fuisset tibi policita et oblata treugua pro annis tribus vel inde supra, volumus, et ita cum nostris consiliis rogatorum, et additionis tibi scribimus, et mandamus, quatenus accepto tempore habili, et condecenti, compareas ad presentiam Serenissimi domini Regis Polane, et dicere debeas, quod in conspectu, et

per medium domini Pape, et aliorum dominorum, per medium quorum, multociens fuit facta pratica dicte treugue, ut est notorium, nunquam voluimus condescendere ad faciendum treuguam, pro minori tempore de annis quinque. Nichilominus intuitu et contemplatione Regie Maiestatis illius Serenissimi domini Regis Polane, cuius sumus boni et veri amici, sumus contenti et placet nobis, quod condescendas ad firmandum et concludendum treuguam per annos tres vel inde supra, ut tibi fuisset oblata cum aliis modis et conditionibus tibi commissis. Quando autem licet dominus Rex Romanorum promisisset in praticis habitis velle facere dictam treuguam per tres annos, occurreret quod ad illam condescenderes, et ipse Rex Romanorum nolet ad dictum tempus trium annorum condescendere, quia intentio nostra est, non declinare nec condescendere ad minus tempus de tribus annis, in hoc casu debeas reverti Venetias de omnibus informatus.

De parte 83.
De non 21.
Non sinceri 4.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. VII, carte 101.)

XXII.

MCCCCXVIIII. die XI. Agosto.

Sindicatus in personam prudentis et sapientis viri Francisci de la Siega notarii nostri.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo decimo nono, indictione XII die undecimo mensis Augusti. Illustris et excelsus dominus, dominus Thomas Mocenigo Dei gratia inclitus dux Venetiarum etc. una cum suis consiliis, habentibus ad infrascripta et alia exercenda plenissimam et liberam potestatem, ad sonum campane, et voce preconia couvocatis, et solemniter congregatis, et ipsa consilia cum ipso domino duce, unanimiter, concorditer, ac nemine dissentiente vel discrepante, omnibus modis, causis et iuribus, quibus melius

et efficacius potuerunt, ac possunt, pro se ac successoribus eorum, nomine et vice comunis Venetiarum, fecerunt, creaverunt, constituerunt ac ordinaverunt, faciunt, creant, constituunt et ordinant suum, ac dicti comunis Venetiarum sindicum, actorem, tractatorem, procuratorem, et nuncium specialem, et quicquid amplius dici et excogitari potest, circumspectum, et sapientem virum Franciscum de la Siega notarium, et fidelem suum. Et specialiter ad comparendum coram Serenissimo domino, domino Wladizlao Dei gratia inclito Rege Pollonie, per cuius medium, et amicam interpositionem, sequi possent inducie ac treugue inter Serenissimnm dominum, dominum Sigismundum Dei gratia Illustrissimum Regem Romanorum et Hungarie et cetera, et prefatum Illustrem dominum Ducem et Comune Venetiarum, cum eorum adherentibus, colligatis, fautoribus, subditis, atque sequacibus. Et cum dicto Serenissimo domino Rege Polonie, seu delegatis ab eo habente, vel habentibus, ad infrascriptam autoritatem, et legitimam potestatem tractandum, praticandum, ineundum, firmandum, et concludendum, veras inducacias, offensarum suspensiones, et irrevocabiles treuguas, inter prefatos Serenissimum dominum, dominum Romanorum et Hungarie Regem, ac Illustrem dominum Ducem, et commune Venetiarum, cum omnibus, et singulis sue Maiestatis et dicti domini ducis, et comunis Venetiarum prelatis, baronibus, colligatis, adherentibus, complicibus, fautoribus, subditis, atque sequacibus, per illa tempora, ac terminos, ac cum illis modis, pactis, conditionibus, obligationibus, promissionibus, penarum adiectionibus, formis, capitulis, articulis et cautelis, que dicto sindico, et procuratori videbuntur. Et si expedierit, aut dicto procuratori videbitur, comparendum coram Serenissimo domino, domino Sigismondo prefato Romanorum et Hungarie Illustrissimo Rege, et cetera, seu aliis a sua Maiestate deputatis, vel deputandis, et prefatas treuguas, offensarum suspensiones et inducias, tractandum, praticandum, ineundum, firmandum et concludendum, ut superius continetur. Et pro predictis conveniendum, comparendum, transigendum, concordandum et paciscendum, et pacta quelibet firmandum et concludendum, et proinde instrumenta et scripturas publicas seu privatas fieri faciendum. Et in animas dicti domini Ducis et Comunis Venetiarum, pro observationibus

predictorum, iurandum, et iuramenta quelibet solemniter faciendum. Et omnia alia in predictis, et circa predicta, ac dependentibus et connexis dicendum, gerendum, tractandum, faciendum, procurandum, et concludendum, que dicto sindico, et procuratori, utilia, efficatia, aut opportuna videbuntur, dantes, et concedentes prefato eorum sindico et procuratori, in predictis, et circa predicta, ac dependentibus et conexis, ab eisdem, plenum, liberum, et generale mandatum, cum plena, libera, ac generali administratione, ac etiam speciale, ubi exigitur, ac promittentes omnia et singula per dictum procuratorem tractata, gesta, et conclusa, firma, rata, et grata habere, tenere, attendere, et observare cum dependentibus et conexis. Et in nullo contrafacere, vel venire, sub obligatione omnium, dicti Comunis Venetiarum, bonorum presentium et futurorum. Actum Venetiis, in ducali palatio, in sala maioris consilii palatii prelibati, presentibus sapiente et circumspecto viro domino Iohanne Plumatio, honorabili Cancellario Venetiarum, nec noc circumspectis viris ser Francisco Bevazano, Mapheo Bartholameo, Gasparino de Merlatis, ducatus Venetiarum notarii, testibus ad premissa, vocatis, specialiter, et rogatis. Impremissorum autem testimonium et evidentiam pleniorem, prefatus dominus, dominus Dux presens instrumentum sindicatus fieri mandavit, et sue bulle plumbee pendentis munimine roborari.

(*Signum tabellienatus.*) Ego Petrus Nigro quondam ser Simonis publicus imperiali autoritate notarius, et ducatus Venetiarum scriba predictis omnibus presens fui, et rogatus a partibus suprascriptis presens instrumentum scripsi et publicavi, in fidemque omnium premissorum, signum meum apposui consuetum.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Commemoriale XI, carte 11 t.)

XXIIII.

MCCCCXX. die VII. Augusti.

Cum ad presentiam nostri dominii comparuerint duos ambassiatores Serenissimi domini Regis Polonie, et Illustris domini

ducis Vitoldi Magni Ducis Lituanie, intimorum amicorum nostrorum, tendentes ad curiam pro factis dictorum dominorum, qui ambassiatores uti sensimus secundum relationes suas, dixerunt, quod domini sui haberent gratissimum, quod per nostrum dominium scriberetur Summo Pontifici et Cardinalibus, recommendando sibi dictos ambassiatores et facta sua. Et faciat pro nobis conservare benivolentiam Illustrium dominornm predictorum pro omni bona causa et respectu; Vadit pars, quod auctoritate huius consilii, possit per dominium scribi Summo Pontifici et illis ex reverendissimis dominis Cardinalibus, quibus videbitur, in recommendationem dictorum ambassiatorum et causarum suarum, sicut videbitur. Ad alia autem exposita per dictos ambassiatores, respondemus, quod de omni prosperitate et bono statu dictorum Serenissimi domini Regis, et Illustris Ducis Vitoldi, recipimus letitiam et consolationem singularem, tanquam de cordialibus amicis nostri dominii, et quantum maiores prosperitates haberent, tantum maiorem letitiam et gaudium sentiremus. Et propter singularem amorem, quem erga suam Serenitatem et dictum dominum Ducem Vitoldum habemus, essemus semper bene dispositi, ad omnia concernentia honorem et augmentum sui status. Ad factum autem lige respondemus, quod sunt ituri Florentiam, et in reditu suo respondebimus.

De parte 77.
De non 1.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secrete, Reg. 7, carte 173.)

XXIV.

MCCCCXXIIII. die XIII. Januarii.*)

Cum Serenissimus dominus Rex Polonie notificari fecerit, et per literas suas, et per suum ambassiatorem nostro dominio, in isto tempore sue senectutis habuisse unum filium masculum,

---

*) More veneto.

quem intendit batizari facere in dominica carnisprivii, et rogari fecerit nostrum dominium, ut nobis placeat aliquem ibi habere, qui nostro nomine teneat ad batisma dictum filium suum, simul cum aliis mittendis per alios dominos, et principes mundi, et quia tempus breve est, dictus ambassiator dixit, quod sufficiebat quod faceremus procuratorium nostrum in duos ex baronibus dicti domini, et unum ex prelatis deinde, et sit honor nostri dominii complacere dicto Serenissimo Domino Regi; Vadit pars, quod in forma debita et necessaria fieri possit procuratorium in personas dictorum trium deinde ad tenendum dictum infantem ad batisma nomine nostri dominii. Et pro honorando batisma predictum possint expendi ducati trecenti in illis rebus que videbuntur Collegio.

De parte omnes alii.
De non 4.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Miste, Reg. 55, carte 84.)

XXV.

In Christi nomine amen. Anno ab eiusdem nativitate Millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, Indictione tercia die terciodecimo Januarij. Misericors et miserator dominus Rex celestis, sua ineffabili pietate, compaciens jacture humani generis quod ex primi parentis lapsu in eterne mortis naufragio laborabat, ut nobis esset quo in salutis portum recipere nos possemus, primam nobis enatandi porrexit tabulam, sacrum videlicet regenerationis lavacrum, quo a fermento veteri mundaremur. Hec est enim prima redemptionis salutisque nostre via, sive qua peragrans optatum hospicium non attinget, veritate in evangelio saluberrime predicante quod nisi quis renatus fuerit ex aqua et sancto Spiritu in regia celica non intrabit. Cum itaque Serenissimus et Excellentissimus dominus, dominus Wladislaus, Dei gratia Rex Polonie, Lituanieque princeps supremus et heres Russie illustrissimus, noviter ut placuit bonorum omnium donatori,


ex Serenissima Principe et domina, domina Sophia illustrissima sua consorte prolem susceperit masculinam, et velut orthodoxus Rex et princeps christianissimus, intendat sanctissimo commendabilique proposito, ipsum Serenissimum eius filium, ad Jesu Christi fidem catholicam, et salubre regenerationis lavacrum pervenire, ac per venerandum et sapientem oratorem sue Regie Maiestatis fecerit Serenissimum Principem et Excellentissimum dominum, dominum Franciscum Foscari, Dei gratia Inclitum ducem Venetiarum etc. de dicti Serenissimi pueri nativitate certificari, et affectuosius invitari, ut placeret eidem Serenissimo domino, domino duci fieri facere vice sui sacrum baptismatis ritum et ordinem infanti Serenissimo sepedicto idcirco idem Serenissimus dominus, dominus dux, volens se menti et voluntati predicti Serenissimi domini, domini Regis affectu sincerissimo conformare, et suis requisitionibus satisfacere, una cum suis consiliis, ad infrascripta et alia exercenda solemniter deputatis, ad sonum campane et voce preconia convocatis et congregatis, et ipsa consilia una cum ipso domino domino duce per se et successores suos et nomine ac vice Comunis Venetiarum, volentes ultra inexplicabilem caritatem, sinceram devocionem, ac zelum optimum, quibus eidem Serenissimo domino, domino Regi prelibato, Serenissimus dominus, dominus Dux et Comune Venetiarum, erant et sunt cordialiter couniti, cum eius Serenissima Regia Maiestate spirituali nexu ligari nodo videlicet compatricij, omni modo, via, jure et forma, quibus melius et efficatius potuerunt ac possunt, fecerunt, constituerunt, creaverunt et ordinaverunt suos et dicti Comunis Venetiarum sindicos et procuratores legitimos, magnificos et potentes dominos Johannem de Tarnavv, palatinum Cracoviensem, et Nicolaum de Michalovv Sandomeriensem capitaneum Cracoviensem, nec non venerandum et egregium virum Stanislaum Czalek cantorem Cracoviensem Regni Polonie vicecancellarium, absentes tanquam presentes et quemlibet eorum insolidum. Ita quod occupantis condicio potior non existat, sed quod unus eorum inceperit, alter mediare ac prosequi valeat et finire. Specialiter et expresse ad comparendum ad presentiam Serenissimi domini, domini Regis Polonie prelibati, ad offerendum eidem vice et nomine ipsorum constituentium, se promptos acque paratos,

ut secundum instituciones et ritus sancte matris ecclesie unda baptismatis, idem Serenissimus Infans filius Regius ipsis quo supra nomine intervenientibus abluatur. Et ut ex ea et sancto Spiritu renovatus acque renatus, originalis culpe delata macula, et eterne mortis periculo declinato, ad viam salutis eterne ac celestis Regni hereditatem, hoc sacrosancto Viatico dirigatur, et ad eius capacitatem ut filius adoptionis habilitetur, ad sepedicti baptismatis sacrum fontem suscipiendum acque tenendum. Et sic devotissime faciendum et fieri faciendum, et generaliter ad exequendum quascumque cerimonias, solemnitates, responsiones, orationes, abrenuntiationes, promissiones, actus, instituciones et ecclesiasticas observantias, et omnia et singula que in predictis et circa predicta, necessaria fuerint et quomodolibet opportuna, et que mores et ritus sancte matris ecclesie acque divinus cultus in sacramento baptismatis exigunt, observant pariter ac requirunt. Promittentes Serenissimus dominus, dominus dux et consilia constituentes prenominati, firma, rata et grata habere, tenere et observare quecumque per eorum sindicos prelibatos, et quemlibet ipsorum in predicto et circa predictum compaternitatis seu compatricij sacramentum, acta, facta et gesta fuerint et catholice observata.

Actum Venetijs in ducali palatio, presentibus circumspecto et sapiente viro domino Iohanne Plumatio honorabili cancellario Venetiarum, et circumspectis et prudentibus viris Francisco Bevazano, Iohachino Trivisano et Mafeo Bartolameo ducalis aule Venetiarum notarijs et alijs testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis. In premissorum autem fidem et evidentiam pleniorem prefatus Serenissimus dominus, dominus dux presens instrumentum Sindicatus fieri mandavit, et sua bulla plumbea pendente muniri.

Ego David Jacopi de Tedaldinis filius ser Antonij civis Venetiarum publicus imperiali autoritate notarius et ducatus Venetiarum scriba, predictis omnibus interfui, rogatusque scripsi et publicavi signumque nomine meo apposui consuetum.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Cancelleria Secreta, Sindicati, Vol. I, carte 226 t.)



Z CZASÓW WŁADYSŁAWA WARNEŃCZYKA.

XXVI.

MCCCCXL. die XVII. Decembris.

Quod Spectabili militi domino Nicolao de Sancto Severino oratori Serenissimi domini Polonie et Hungarie Regis ad ea que exposuit pro parte Serenissimi domini Regis predicti, ac pro parte Comitis Maticonis et in eius specialitate ut relatum est huic consilio per Serenissimum dominum Ducem, respondeatur in hunc modum. Quod ut iam sibi diximus eius Spectabilitati vidimus alacriter et libenter et ad ea que nobis exposuit, et primo pro parte Serenissimi domini Regis respondebimus verissimum esse, quod bone memorie Serenissimi domini Imperatoris Sigismundi eramus devotissimi filii, et in eius perfecta benivolentia, et cum Serenitate sua pro sacro Imperio habebamus certam intelligentiam que defuncta eius Maiestate expiravit, et pro Regno Hungarie treuguas que debitam habuerunt observationem et illas parati sumus etiam in futurum observare et cum eius Serenitate bonam et perpetuam amiciciam tenere et conservare.

Ad partem favoris quem petit per nos conferri Comiti Maticoni pro recuperatione Castri sibi ablati per Comitem Stephanum, dicimus quod certi reddimur, quod Serenitas sua ex affectione quam nobis habet, nolit nisi ea, que sint cum reservatione honoris et fidei nostre quodque Serenitatem suam advisamus quod predictus Comes Stefanus ad nos misit oratores suos, multa cum instantia petens favores nostros, quos sibi denegavimus. Et tandem promisimus stare neutrales, quamobrem non videmus posse salva fide et promissione nostra suprascripte

eius requisitioni assentire, et rogamus eius Serenitatem, ut nos habeat merito excusatos.

Ad factum teucrorum dicimus, quod, ut notorium est toti orbi, quod pro christiana fide longissimo tempore, cum multa nostra gravedine et expensa, ac nostrorum civium et subditorum clade, et effusione sanguinis, guerram teucro fecimus sine alicuius subsidio vel favore, et tandem videntes nos solos esse, quasi coacte devenimus cum ipso teucro ad pacem, que per utramque partem peroptime extitit observata, cui cum honore et sine nostro multo preiudicio et damno, contravenire ad presens non possumus. Sed in processu temporis, res taliter dirigi possent, quod possemus pro salute christianitatis facere de his que optamus, et per elapsum fecimus.

Ad ea autem que exposuit pro parte Magnifici Comitis Maticonis, respondemus, et primo circa factum favoris, quod Magnificentiam suam habemus in optimum amicum et plurimum sumus ei affecti et ei semper parati erimus in cunctis licitis et honestis complacere, sed ut iam diximus Comiti Stefano promisimus stare neutrales. Ita quod salva fide nostra et honestate non possemus ei dare favores quos requirit.

Verum ut intelligat, quod apti sumus in his, que habiliter possumus sue Magnificentie complacere, contentamur, quod emere hic et extrahere libere possit veretonos, pulverem et alias munitiones quas requirit.

Bombardas vero quas dicit, contentamur, quod per mare conduci facere possit, sine nostrorum in mari impedimento. Sed rogamus, ut non per terras nostras, sed per aliquem portum remotum et cum navigio forensi ad aliquem portum etiam remotum illas conduci faciat, ut videamur neutrales, sicut promisimus, ut est dictum.

Quantum vero pertinet ad factum Spectabilitatis sue, dicimus quod parati sumus scribere, et Comitibus Segne et Comiti Cilie in eius favorem, et eum ut civem nostrum facere recomissum, et illis Rectoribus nostris, qui ei videbuntur. Et generaliter etiam omnibus Rectoribus nostris mandare, ut occurrente casu, quod venire aut mittere bona sua velit ad terras nostras, acceptetur et tractetur ut civis noster, et placet nobis

quod teneat castrum suum et acceptamus oblationem quam facit remorum. Verum de salinis, quas dicit, non possemus respectu subditorum nostrorum Spaleti eius requisitioni assentire.

De parte 116.
De non 2.
Non sinceri 2.

(*Archivio di Stato Venezia*,
Senato Secreti, reg. 15 c. 56 t.)

XXVII.

MCCCCXLII. die XXVI. Martii.

Quod Reverendissimo domino Cardinali sancte Sabine, legato Apostolico de latere, qui, ut relatum fuit huic consilio per Serenissimum dominum ducem dixit: summum pontificem eum mittere legatum ad partes Hungarie, ut inter regem Polonie et reginam Hungarie pacem ponere studeat et provideat saluti christianorum et obviare turchis, nostrumque petit consilium et favorem. Et secundo dicit, summum pontificem, visa sententia pacis, lata per illustrissimum comitem Franciscum et habita noticia de compositionibus, initis inter prefatum comitem, et Nicolaum Picininum, cum ipso Nicolao devenit ad praticam sed nundum conclusit, et ad ipsam praticam devenit non ut faceret contra nos aut ligam, nec etiam contra prefatum comitem Franciscum, sed solum ut conservare valeat statum Beatitudini sue restantem. Respondeatur.

Et primo circa consilium et favorem quem petit, quod consilium nostrum est, ut sua Reverendissima Paternitas, quantocitius possibile sit, se transferat ad illas partes, quia speramus in Dei clementia et eius multa sapientia, quod discordias illas sedabit, et illos Serenissimos Regem et Reginam pacificabit, et eos ac alios principes et dominos illarum partium uniet et inducet ad faciendum provisiones necessarias pro salute christianitatis, et repprimendum rabiem teucrorum. Et quia res iste consuli non possunt, nisi videantur et intelligantur ea, que sua

Rma. Paternitas fecerit cum Regalibus predictis et aliis principibus illarum partium, laudamus quod sequatur viam suam ad partes predictas horteturque et suadeat illis Serenissimis dominis Regi et Regine et aliis principibus et dominis christianis ad providendum saluti christianitatis, ut prediximus, et gratissimum nobis erit advisari et informari de his que per accessum sue R. Paternitatis ad partes illas sequeatur, ac qualiter illos Reges principes et dominos reppererit dispositos et de provisionibus, que eis viderentur et facient. Nam huiusmodi habita informatione sanius et maturius hec materia contuli poterit quoniam continue erimus illius sincerissime dispositionis, qua semper fuimus, omnia faciendi, que nobis convenientia videantur pro bono christiane religionis, et augumento sancte fidei.

Ad factum Nicolai Picinini Respondeatur in ea substantia verborum, quibus captum est responderi domino Serafino oratori Ri. domini Cardinalis patriarche Aquilegiensis.

De parte 112.
De non 2.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato Venezia,*
Senato Secreti, reg. 15 c. 116.)

XXVIII.

MCCCCXLII. die II. Januarii (more veneto). Indictione VI.

Illustrissimo domino duci Burgondie et cet.

Illustrissime princeps et Excellentissime domine. Habuimus omni tempore gratissimas literas celsitudinis vestre pro quacunque causa nobis scriptas, sed eas quas nunc accepimus datas die sexto decembris elapsi per hunc nuncium vestrum tanto gratiores habuimus quanto ex illis vidimus quod tamen semper exploratissimum nobis fuit Excellentiam vestram velut christianissimam ad conservationem et salutem non solum urbis Constantinopolitane, sed totius christiane religionis tota mente promptissimam esse, pro quarum literarum responsione In primis Celsitudini Vestre, que cum tanta caritate et benivolentia de novis et statu

illius urbis Constantinopolitane et aliarum partium orientalium a nobis certificari petit ac nobiscum tanta humanitate se habet immense regratiamur, Illamque vestram naturalem affectionem et ardentissimum desiderium ad salutem et comodum Reipublice christiane quammaxime laudamus, subinde ut condictiones partium illarum intelligatis, verum fuisse dicimus id quod excellentie vestre iam antea nunciatum fuit videlicet Constantinopolitanam urbem ab hostibus christiani nominis Teucris per aliquot menses fuisse obsessam et graviter stimulatam, sed auxiliante divina clementia cuius res agebatur stante eiusmodi teucre gentis obsidione, omnipotens Deus dexteram sue Maiestatis ad salutem populi sui, et excidium teucrorum extendit. Nam sicut celsitudini vestre tam ex partibus Hungarie quam aliunde nunciatum fuisse non dubitamus teucri ipsi qui potentissima manu, maximisque bellicis apparatibus Regnum Hungarie in partibus Transilvanis ac Valachie provinciam subintraverant, iamque preda ferro et igne partes illas vastare et evertere ceperant a gentibus hungaricis Transilvanis ac Vlachis et aliis convicinis partibus christianis, que ad oppositum Teucrorum convenerant divino miraculo fusi cesi et in extremum conflictum et excidium versi sunt, sicut constat per literas Serenissimi Regis Hungarie et Polonie eiusque Capitanei, qui in facto fuit, quarum exemplum alias in literis nostris datis XXX mensis octobris elapsi ad excellentiam vestram misisse recolimus. Et tamen earundem literarum exemplum rursus mittimus his inclusum ut totam ac veram rei essentiam sicut et nos habuimus intelligat, unde propter hanc adversam Teucrorum fortunam et cladem Eorum exercitus qui ad obsidionem Constantinopolis dudum steterat repente discessit, et evanuit. Evenit quoque eo ipso tempore ut Illustris despotus Constantinus dragassi' frater Serenissimi Imperatoris Constantinopolitani, dum ex provincia Achaye discessisset Constantinopolim profecturus, ut et fratri et imperio personaliter opem feret in eius itinere a classe Teucrorum, que ex improviso de Galipoli opido Teucrorum exiverat in insula et castro Stalimene per plurimos dies obsessus fuit, Ita ut nec Constantinopolim ire posset, nec inde discedere, neque vix de salute sua speraret. Interea nos habentes de re ista noticiam, octo ex galeis nostris armatis

et bene munitis ad locum ipsum misimus ut ipsum Illustrem dispotum ab eo periculo liberarent, ac eius iter usque Constantinopolim tutum facerent. Sicque per miram Dei clementiam factum est ut uno eodem ferme tempore et Teucrorum exercitus in Hungariam delectus (sic) fuerit, et ipse Illustris despotus ab illo periculo liberatus quem galee ille nostre Constantinopolim conduxerunt, eumque iam illuc incolumen attigisse non dubitamus, hic est verus et substantialis effectus eorum de quibus excellentia vestra a nobis certificari petit que ea ipsa animi sinceritate eaque recta intentione quam et nos et predecessores nostri ad salutem et commoda christianitatis continuis temporibus habuimus quem admodum et celsitudinem vestram habere videmus per has nostras literas sicut requiritis declaramus, reperiemur tanquam veri christiani sincera et prompta mente dispositi.

Ex quibus supernaratis verisimiliter arbitramur pericula illa sublata esse, Nichilominus per reditum galearum nostrarum, que ad partes illas profecte sunt quas in proximo expectamus de omnibus novis et conditionibus illius imperii et urbis Constantinopolitane ceterarumque partium illarum veram et integram informationem habere speramus, De quibus vestram celsitudinem consciam et participem facimus. Et si qua provisione galearum nostrarum quas vestra Sublimitas suis sumptibus per nos armari et muniri iusto et rationabili precio requisivit expediens esse videbimus. Reddat se certam, quod tam in facto galearum quam in precio congruo et honesto, ac in reliquis excellentie vestre gratis, et christianitati comodis nobis possibilibus, tanquam veri christiani ac vestre celsitudinis benivolentissimi reperiemur sincere dispositi.

Et ex nunc sit captum, Quod per collegium scribi possint litere prefato domino duci Burgondie pro factis Petri Marcello in illa forma que videbitur dicto collegio.

De parte 110.
De non 0.
Non sinceri 2.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Senato Mar reg°. 1 carte 138to.)

XXIX.

MCCCCXLIII. die VIII. Augusti.

Reverendissimo domino Cardinali Sancti Angeli.

Litteras Reverendissime paternitatis Vestre accepimus. XI Julij datas cum nonnullis in eis inclusis copijs. Et ipsi, Reverendissime paternitati respondemus, quod non cum minori sumus, viso rerum successu, animi passione, quam sit ipsa Vestra Reverendissma Paternitas, cui ut omnia nota sint, significamus, quod nos quantum in nobis spectabat, eramus et sumus in ordine, expensamque iam fecimus necessariam, ut quod obtulimus de galeis, perficeremus, nec aliud, quam quod Summus Pontifex, ut dixerat, denarios pro earum armamento mitteret expectabatur. Sed Sanctitati sue aliam non libuit facere provisionem quam decimam imponere Cleris, Florentino et Jurisdicionis nostre. Alias vero eius pecunias in alio convertit. Decima autem predictorum clerorum minimum quid est et propter malas temporis conditiones non nisi in multo temporis spatio exigi posset. Reverendissimus quidem dominus Cardinalis Vicecancellarius legatus dessignatus ad dictam armatam, nullas secum ferens pecunias, huc venit secundo instantis. Quare attento, quod sine pecunijs hec nullatenus fieri possunt, ac qualiter elapsum est tempus, cum in mense simus Augusti, quo armata in strictu constituta esse vellet, si fructus consequi ex ea deberet. Non videmus de ea armata spem fore habendam, de quo quidem dolemus, et iterum dolemus, cum intelligamus inconvenientias et pericula, christiano populo subsecutura. Unum vero nos consolat pro nobis non defecisse nec deficere, et Deo et mundo nos excusamus. [Et quidem si ab ipso principio intellexissemus rem sic successuram, et Romanum pontificem non provisurum, conati fuissemus quantum nobis possibile fuisset providere. Sed pollicitis sue Sanctitatis ut rationabiliter debebamus fidem adhibentes, non nisi ad ea que obtuleramus, attendimus. Sed nunc iam tempus adeo dilapsum est, ut nullatenus possibile sit, quod optaremus adimplere. Sicque unus quisque aperte cognoscere debet sincerissimam mentem et intentionem nostram, et nos ha-

bere et merito excusatos.] Ceterum ut per alias scripsimus, Ita ad cautelam replicamus, quod receptis litteris Serenissimi domini Regis Polonie et Reve. paternitatis vestre, requirentes, ut pro christiano exercitu de libris X^M. (*10,000*) pulveris provideremus, affecti tota mente tam utili et sancto operi. Ipsam pulverem nuncio litterarum ipsarum liberaliter fecimus consignari, et nostris cum navigiis ipsam Sibinicum deferri, ut requisiverat Magnificus Comes Mathicus.

De parte 72.

Ser Federicus Contareno sapiens consilii.
Ser Marcus Quirino sapiens terre firme.

Quod considerata importantia particule literarum suprascriptarum, contente inter utrumque [ ], cum certissimum sit, quod per eam nos obligamus, anno sequenti, armare nostris expensis; Ipse litere mittantur sine particula suprascripta.

De parte 52. De non 3. Non sinceri 3.

(*Archivio di Stato Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16 c. 31.)

XXX.

MCCCCXLIII. die XV. Januarii (more veneto).

... Et quia honor nostri dominij est congratulari cum Reverendissimo domino Cardinale sancti Angeli, ac Serenissimo domino Rege Polonie, qui nobis scripserunt de victoriis obtentis, ex nunc captum sit, quod mittatur unus noster secretarius ad presentiam prefati Reverendissimi domini Cardinalis, et Serenissimi domini Regis ac etiam Magnifici domini Johannis Vayvode transsilvani ad congaudendum de victoriis suprascriptis et persentiendum de novis et progressibus christianorum, cum illa commissione, que videbitur huic consilio.

De parte 114. De non 22. Non sinceri 4.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16 c. 57 t.)

XXXI.

MCCCCXLIII. die XXVIII. Januarii (m. v.).

Cum diebus preteritis captum fuerit in isto consilio, quod mitteretur per viam terre unus secretarius noster ad presentiam Serenissimi domini Regis Polonie et Reverendissimi Domini Cardinalis legati, quod fuit bene factum, et nunc per ea que secuta sunt de gloriosa et excellenti victoria per ipsum dominum Regem contra perfidos teucros obtenta, etiam per mare cum galeis nostris, abiliter transmitti possit ad ipsum Serenissimum Regem. Sitque etiam honor et debitum nostri dominij honorare sicut decet, suam Serenitatem, que, ut omnes intelligunt, est supremus et excellentissimus princeps in christianis, considerata etiam importantia rerum, que occurrere poterunt praticanda apud ipsum Serenissimum Regem.

Vadit pars quod de presenti eligatur per scruptinium in isto consilio unus noster honorandus Orator ad prefatum dominum Regem et dominum legatum, qui accipi possit de omni loco et officio. Refutare non possit sub pena ducatorum CC. Respondeat statim vel cras ad tertias. Teneatur recedere infra dies X ad longius, vadat cum presentibus galeis Culfi que tamen propter hoc non differant recessum suum. Et si recedent ante terminum predictum, ex nunc captum sit, quod Capitaneus Culfi dimittere debeat in Jadra unam ex galeis nostris que expectet Oratorem nostrum ibidem, in casu quo, ante expeditionem galearum nostrarum ex Jadra illuc non attigisset. Recedat hinc dictus Orator cum una barca armata, que eum solicite conducat Jadram. Et deinde cum galea predicta vadat ad repperiendum alias galeas nostras, et descendat in terram, ubi et sicut melius facere posse videbit, pro eundo ad presentiam prefati Serenissimi Regis. Habeat idem Orator pro ista legatione ducatos IIII^ci^ (*400*) auri dono, qui sint exclusi ab omni angaria et si daretur sibi ob hoc aliquod impedimentum, dominium nostrum solvat de suo. Ducat hinc secum unum notarium cum uno famulo, et tres domicellos, unum expensatorem, unum cochum et unum interpretem. Et cum descenderit in ter-

ram, accipiat alios quatuor famulos, et vadat cum illa commissione que sibi dabitur per istud consilium.

Verum ex nunc captum sit, quod non obstante electione prefati Ambassiatoris, mittatur illico unus ex secretariis nostris ad prefatum Serenissimum Regem per viam terre iuxta deliberationem istius consilii.

De parte 46.

Ser Paulus Truno procurator Ser Federicus Contareno Ser Leonus Justinianus procurator Ser Matheus Victuri Ser Hermolaus Donato	Sapientes consilii.
Ser Andreas Bernardo Ser Antonius Diedo	Sapientes terre firme.

Quod in executione deliberationis facte diebus preteritis, per istud consilium, de mittendo unum secretarium nostrum ad Serenissimum dominum Regem Polonie; ex nunc captum sit, quod consiliarius mensis sub pena ducatorum centum, in suis propriis bonis exigenda per advocatores Comunis, dare teneatur denarios necessarios pro expeditione ipsius secretarii nostri. Ita quod penitus recedat cum presentibus galeis Culfi, que eum deponant in illo loco intra Culfum, qui deliberabitur, ut exinde per terram vadat ad presentiam prefati Serenissimi domini Regis. Et ex nunc captum sit, quod expositio fienda de galeis nostris, sit commissa Baiulo nostro Constantinopolis.

De parte	62.
De non	2.
Non sinceri	4.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16 c. 58 t.)

XXXII.

MCCCCXLIII. die II. Februarii (more veneto).

Comiti Franco Taulouiz (sic)*).

Cum ad nostram pervenit noticiam Magnificentiam Vestram ad partes Dalmatie cum galeis nostris Tane applicuisse, singularem ob multam nostram erga ipsam Vestram Magnificentiam affectionem et amorem habuimus et sensimus letitiam, cum eam Vestram Magnificentiam et Magnificos fratres vestros habeamus in optimos benivolos et amicos, secumque tenere et conservare intendamus optimam benivolentiam et vicinantiam. Sed quoniam sensimus Magnificentiam Vestram non gratam habuisse intromissionem quam fecit comes noster Spaleti de poliza et dalmissa, has nostras ei scribere instituimus et dicimus quod si res bene considerabitur, nullatenus credere possumus hanc intromissionem cuipiam esse molestam, Et specialiter animadvertendum est, notorium esse, nos iam pluribus annis elapsis, in aperto fuisse bello cum comite Stefano, qui loca predicta tenebat, et cum primo contra Nos et successive nos contra eum, hostem parasse, et unum alterum damnificare: locaque sua accipere procurasse. Si ergo Rector noster Spaleti dalmissam et polizam sub nostra acceptavit obedientia, credimus de iure neminem se posse gravari, Nam cum defensam paravimus, licitum nobis fuit etiam ad offensam procedere: Liquidissimo igitur bello, sunt predicta de manibus inimici nostri accepta, sicuti non dubitamus, Serenissimum dominum Regem Polonie et Hungarie iudicaturum et comprehensurum, cum cuius Maiestate semper et in omnem eventum amicabiliter vivere et bene vicinare disponimus, sicuti sumus per effectum operum ostensuri, Et eapropter Magnificentiam Vestram rogamus, ut ei placeat remanere contenta.

De parte alii. De non 1. Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 61to.)

---

*) Długosz i wszyscy dziejopisarze nasi nazywają go pospolicie Franco-banem; Malinowski zaś w przypiskach do Wapowskiego podaje jego pełne nazwisko: Franciszek z Tallocz ban Slawonii.

XXXIII.

MCCCCXLIII. die VI. Februarii (more veneto).

Nos Franciscus Foscari, Dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus tibi Nobili viro Luce georgio Capitaneo nostro Culfi, quod cum galeis nostris hic armatis In Nomine Iesu Christi et in bona gratia ire debeas tangendo Iadram quancitius potes, Corphoy (sic), et illi Regimini presentare debeas literas nostras ei dirrectivas, quas tibi fecimus assignari, Nam iussimus per ipsum Regimen recuperari, et tibi subito dari denarios pro quarta paga danda galeis suprascriptis.

Et in dicto loco solicita in simul cum Baiulo nostro dare pagam suprascriptam ad tornesios, et si denarii quos habebis essent in auro, pones illos ad precium quo curret ducatus ad tornesios, et preterea insta, ut illud Regimen, cum omni diligentia possibili armari faciat galeam deinde, que quamcelerius possibile est te sequatur, sicut ei scribimus, Et si forte non haberet sartias et ferra necessaria, dic et insta, ut recuperet defficientia, ut melius possibile erit, et de navigiis, et de quocumque alio loco. Et insuper debeas quamprimum applicueris Corphoy solicite per viam Austrie, sive Patrasii, vel aliam viam per terram mittere regiminibus Nigropontis et Neapolis Romanie unam manum literarum nostrarum, quas tibi fecimus assignari, et tu etiam eis scribe, ut quemadmodum eis iubemus per dictas literas, quodlibet eorum armet galeam suam, et quod illa Neapolis mittatur cum solicitudine Nigropontem ad expectandum te, et quod illa Nigropontis etiam sit in appulsu tuo ad eum locum in ordine.

Et te dicto loco Corphoy solicita te expedire cum diligentia et accellera viam tuam versus Mothonum.

Et quia veniet super galeis tibi commissis Reverendissimus dominus Cardinalis Russie (sic)*), quem sumus contenti, ut leves

*) Mógłby to być Izydor, Grek, opat u św. Demetriusza w Konstantynopolu, późniéj arcybiskup Moskwy, ks. kardynał u św. Marcelina i św. Piotra a biskup Sabiński. † 1463. (Cf. Migne, Dictionnaire des Cardinaux. 1857).

cum personis viginti, si dictus Reverendissimus dominus Cardinalis volet deponi in Mothono, ipsum in eo loco deponere debeas, et ex dicto loco Mothoni, subito, postquam ad eum applicueris, mitte Regiminibus Nigropontis et Neapolis Romanie per terram aliam manum literarum nostrarum eis dirrectivarum, ac eis scribe etiam ut feceris ex Corphoy pro armamento suarum galearum, ita quod in appulsu tuo Nigropontis ambe sint ibi in ordine.

Et si usque ad appulsum tuum Mothonum non reperiisses illas duas galeas quas iussimus in Creta armari, debeas subito mittere unam ex his tribus galeis usque in Cretam ad repperiendum eas galeas et solicitandum, quod quanto citius possibile sit, veniant, ad repperiendum te.

Verum si occurreret, quod ante tuam expeditionem de Mothono, galee nostre Baruti vel naves Sirie, aliquod importans damnum recepissent, quod Deus avertat, volumus ut nobis scribere debeas per quam celeriorem et breviorem viam poteris, et non vadas Nigropontem, et cohadiuvare studeas apud te omnes galeas suprascriptas, Et si videbis posse cum parte, aut omnibus dictis galeis damnum datum recuperare contra illos qui damnificassent, facere debeas, ut noveris honori nostro convenire, habendo tamen semper advertentiam ad securitatem galearum tibi commissarum.

Si vero usque ad expeditionem tuam de Mothono, non senseris quicquam adversi, quod importans sit galeis Baruti, aut navibus Sirie evenisse, sequi debeas iter tuum versus Nigropontem, et in eo loco studeas reducere et adhunare penes te, galeas Crete, illam Corphoy, illam Neapolis Romanie, et illam Nigropontis, et ibi repperies mandatum nostrum quod exequi solicitabis.

Verum quia cum dictis galeis venit circumspectus secretarius noster Iohannes de Reguardatis, quem mittimus ad presentiam Serenissimi domini Regis Polonie et Hungarie, volumus ut eum conduci facias Ragusium sive versus Scutarum, prout sumpta informatione, deliberabit.

De parte 27.

(Ibd. c. 62).

XXXIV.

MCCCCXLIII. die VI. Februarii (more veneto).

Nos Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum etc. Committimus tibi Nobili viro Luce; georgio Capitaneo nostro Culfi, quod cum galeis nostris hic armatis, in nomine Iesu Cristi, et in bona gratia ire debeas, quanto celerius tibi possibile sit, Corphoy, et illi Regimini presentare debeas literas nostras ei dirrectivas, quas tibi fecimus assignari, Nam iussimus per ipsum Regimen recuperari, et tibi dari denarios necessarios pro quarta paga danda galeis suprascriptis.

Eundo autem, deponi facere debeas aut in Ragusio, aut ad Boianam circumspectum secretarium nostrum Iohannem de reguardatis, qui est cum dictis galeis, amittendo quamminus temporis possibile sit.

In Corphoy solicitabis cum Baiulo nostro dare suprascriptam pagam quartam ad tornesios, sive ad precium quo curret ducatus ad tornesios, Et insta ut illud Regimen cum omni diligentia possibili armari faciat galeam suam, que quanto citius possibile sit, te sequatur, Et si forte ei defficerent sartie, vel aliud accipiat illud regimen queque necessaria a quibuscumque ea habentibus, et nobis scribat, quoniam providebimus ad satisfacionem vel emendam, Et insuper debeas quamprimum applicueris Corphoy, solicite per viam Austrie sive Patrasii, vel aliam viam, per terram mittere Regiminibus Nigropontis et Neapolis Romanie unam manum literarum nostrarum tibi assignatarum, et tu etiam eis scribe, ut quemadmodum eis iniungimus, ipsorum quodlibet armet galeam suam, et quod illa Neapolis mittatur cum solicitudine Nigropontem, ad expectandum te, et quod illa Nigropontis etiam sit in appulsu tuo, ad eum locum in ordine.

Et expediendo te cum illa minori ammissione temporis, que possibilis sit, de Corphoy accellera viam tuam versus Mothonum.

Et si in Mothono volet remanere Reverendissimus dominus Cardinalis Russie, qui super his galeis est, eum ibi depone, et ex dicto loco Mothoni scribe Regiminibus Nigropontis et

Neapolis Romanie pro armamento illarum galearum, ac etiam eis mitte alteram manum literarum nostrarum per terram, ut feceris ex Corphoy.

Et si usque ad appulsum tuum Mothonum non reperiisses illas duas galeas quas iussimus in Creta armari, debeas subito mittere unam ex his tribus galeis usque in Cretam, ad repperiendum eas galeas et solicitandum, quod quanto citius possibile sit, veniant ad repperiendum te.

Et si usque ad expeditionem tuam de Mothono galee nostre Baruti transiverint Mothonum salve, et ille ac naves Sirie damnum notabile non fuissent passe, sequi debeas iter tuum versus Nigropontem. Si vero galee predicte Baruti, nundum transivissent Mothonum, scribe nobis, et expecta mandatum. Et si interim quo expectares galee predicte Baruti salve transirent, debeas, non expectato alio mandato, ire versus Nigropontem, Et in Nigroponte cohadunatis galeis de Creta, Corphoy, Neapolis Romanie et Nigropontis, ac etiam illa ducis Egeopelagi, et galeota domini Andres, ac galeota Tinarum et Michonarum, si eas habere poteris, vel illam partem earum quam habere poteris, quoniam scripsimus et requisivimus dominum ducem Egeopelagi, ac dominum Andres ut arment, et iussimus etiam armari illam Tinarum et Miconarum cum omnibus dictis galeis, aut saltem illis de hinc de Creta, de Nigroponte, de Corphoy et Neapoli Romanie, si reliquas habere non posses, ire solicita in strictum galipolis ad custodiendum et obviandum ne teucri de Grecia in Turchiam, et e converso valeant pertransire usque quo alium habebis ordinem a Serenissimo domino Rege Polonie, iuxta quem in illo strictu cum illum habebis, volumus ut facere debeas quoniam pro favore cristianorum et impresia ipsius Serenissimi domini Regis te mittimus ad illas partes.

Si vero in Nigroponte firmiter sentires teucros, quod Deus avertat, contra cristianos prosperasse et cristianos esse in fuga non ulterius vadas, sed redire debeas cum omnibus galeis tibi commissis versus Mothonum, et nobis scribere, et in illis aquis nostrum expectare mandatum.

Verum si non prosperantibus teucris, ires in strictum et ante recessum tuum de Nigroponte, illud Regimen teneret vel

haberet praticam cum illis de Salonico, quod videlicet vellent sub nostra venire obedientia, dicere debeas illi Regimini Nigropontis, et tu etiam hortari debeas eos Salonicenses ut boni sint animi, quoniam contentabimur illos acceptare, et bene et humanissime eos tractare, ut alias fecimus et melius si possibile erit, quoniam eos plurimum diligimus stentque sic, quoniam de brevi acceptabuntur et excusa te, quod de presenti non potes mittere illos acceptum, cum necesse est, ut presto vadas ad strictum, et potens cum omnibus galeis quas habes.

Cum autem eris penes Galipolim si forte illi qui sunt in eo loco, sponte illum tibi dare vellent, eum acceptare debeas ac tenere, et custodire nomine Serenissimi domini Regis Hungarie et Polonie usque quo Baiulus noster Constantinopolis fuerit ad eius presentiam.

Quamprimum autem applicueris in suprascripto strictu, mitte Baiulo nostro Constantinopolis per unam galeam, literas, quas cum commissione sibi facta mittimus; Nam ut videbis per ipsius copiam quam pro informatione tua tibi dari fecimus, eis mandamus, ut vadat ad presentiam Serenissimi domini Regis Polonie et Hungarie, ac Reverendissimi domini Cardinalis Sancti Angeli, qui cum eius Maiestate in exercitu est.

Verum si dictus Baiulus per viam Constantinopolis ire non posset, velletque per aliam viam in illo strictu vel partibus propinquis accedere ad omnem eius requisitionem, eum debeas facere conduci ad illum locum per quem ire deliberabit.

De parte 29 — 31.

Ser Federicus Contareno Sapiens consilii.

Vult partem ser Pauli Truno procuratoris sapientis consilii et sociorum per totum. Excepto quod Capitaneus cum galeis se nutriat a Mothono, usque caput mallium, in illis aquis, et expectet mandatum attendendo eo interim ad securitatem navigiorum nostrorum.

De parte 53 — 78. De non 3. Non sinceri 3 — 8.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 62).

XXXV.

MCCCCXLIIII. die VIII. Februarii (m. v.).

Quoniam nullo modo facit pro comodo et utilitate status nostri, provocare nobis odia e inimicicias et ingredi materias, que nos in scandala et inconvenientia cum corona Hungarie et aliter inducere possint, Vadit pars, quod auctoritate huius consilii scribatur et mandetur Comiti nostro Spaleti, quod modo aliquo se impedire non debeat in factis police et dalmisse, sed loca illa que nobis insciis ad nostram obedientiam acceptavit libere dimittere debeat. Et scribatur magnifico Comiti Franco de Taloviz circa hoc in illa pertinentiori et magis iustificata forma verborum, que collegio utilior apparebit.

De parte 27.

Ser Marcus Mauroceno Sapiens terre firme vult quod differatur pro nunc in ista materia.

De parte 52.
De non 9.
Non sinceri 4.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 68.)

XXXVI.

MCCCCXLIIII. die VIII. Februarii (m. v.).

Quod Commissio nunc facta Capitaneo Culfi, corrigatur in tantum, quod in Corphoy instet et provideat, quod illud regimen cum omni diligentia possibili armari faciat galeam deinde, que eum sequatur. Et insuper quam primum applicuerit Corphoy, solicite per viam terre mittat Regiminibus Negropontis et Neapolis Romanie unam manum literarum nostrarum ei assignatarum, et ipse etiam eis scribat, ut quemadmodum eis mandamus per dictas literas, quodlibet eorum armet galeam suam, et eas mittant Mothonum ad repperiendum ipsum Capitaneum

nostrum. Et cum commissione sic correcta expediatur Capitaneus Culfi suprascriptus, Et differatur in expediendo Iohannem de reguardatis secretarium nostrum iturum ad serenissimum dominum Regem Polonie et Hungarie, qui per aliam viam ibit cum illa commissione, que deliberabitur per hoc consilium.

De parte 24.

Sapientès consilii omnes et Ser Leonardus Contareno, Andreas Bernardo, Antonius Diedo, Zacharias Valavessus Sapientes terre firme volunt, quod differatur in expediendo Iohannem de reguardatis, et licentietur hec galea, que restat cum commissione nunc capta in isto consilio, cum hac tamen correctione, quod galea Corphoy solicite armetur, que sequatur Capitaneum nostrum suprascriptum.

De parte 67.
De non 0.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 63 t°.)

XXXVII.

MCCCCXLIII. die XI. Februarii (m. v.).

Magnifico Comiti Francho Thauloviz.

Sub die II. instantis Magnificientie Vestre scripsimus. Comitem nostrum Spaleti, sub nostra acceptasse obedientia polizam et dalmissam, quod nobis videbatur iuridice fieri potuisse, quoniam ea loca tenebantur per Comitem Stefanum notorium hostem nostrum. Sed quoniam expostea a Rectoribus nostris Dalmatie sensimus Magnificientiam vestram pretendere ius in dictis locis habere, cum asserat ea de iurisdictione bannatus sui Crovacie esse, et non intendamus iuribus alicuius derogare nec aliena tenere, et potissime ea que spectare videamus Magnificentie Vestre cum qua bonam tenemus et servare intendimus amiciciam et benivolentiam, gratum haberemus, et rogamus, ut Magnificentiam Vestram ad nos mittat eius nuncium qui nobis

declaret iura sua quoniam intendimus facere debitum nostrum, et non nisi iusta querere et facere deliberamus.

De parte 33 — 42.

Scripsimus, sub die II. instantis Magnificentie Vestre Comitem nostrum Spaleti sub nostra acceptasse obedientia polizam et dalmissam, quod nobis videbatur iuridice fieri potuisse, quoniam ea loca tenebantur per Comitem Stefanum publicum et notorium hostem nostrum. Ex postea vero certiorati fuimus Magnificentiam Vestram pretendere ius in dictis locis habere, cum asserat ea iurisdicionis bannatus sui Crovatie esse, et illa dicat per Comitem Stefanum predictum indebite fuisse ei occupata. Et quia sincere diligimus Magnificentiam Vestram cum qua intendimus amicabiliter vivere et bene vicinari, et nec de suo, nec de alio, quicquam preter iusticiam, appetere, tenentes, quod existentibus dictis locis in manibus Magnificentie Vestre Civitas et subditi nostri Spaletini, ac cetera loca nostra illam bonam habuerunt societatem, quam haberent, si dicta duo loca in manibus nostris essent, iussimus Comiti nostro Spaleti, ut de dictis locis non se impediat, sed sinat Magnificentiam Vestram facere ut ei videbitur.

De parte 17.

Sub die II. presentis ad Magnificentiam Vestram scripsimus, primum congratulantes nos cum eadem de reditu suo in patriam, deinde in factis polize et dalmisse, que loca Comes noster Spaleti nuper accepit, diximus quantum tunc usque nobis scribendum occurrit, commemorando inter cetera, quod existimabamus talem intromissionem Comitis nostri Spaleti, licite fieri potuisse, cum loca ipsa de manibus Comitis Stefani publici hostis nostri, cum quo eramus in aperto bello, accepta fuissent. Nunc autem pleniorem habentes noticiam et informationem de ista materia, intelligentesque Magnificentiam Vestram ius pretendere in locis predictis ratione bannatus, et quod loca ipsa primitus possidebat, et quod sibi ablata fuerunt per prefatum Comitem Stefanum cum quo erat, et in presenti est in treuguis, dispositi cum Vestra Magnificentia ac cum Magnificis fratribus

vestris in solita amicicia et benivolentia perseverare, non obstantibus aliis literis nostris Magnificentie Vestre scriptis deliberavimus proptér hanc novam habitam informationem de locis predictis polize et dalmisse, Nos nullatenus impedire, imo ea dimittere cum nobis sufficiat, quod de manibus hostis nostri exierint, Et ita inopportuna forma scripsimus et mandavimus Comiti nostro Spaleti, de quo Vestram Magnificentiam duximus informandam, ut mentem et optimam dispositionem nostram intelligat.

De parte	9.
De non	37 — 52.
Non sinceri	2 — 2.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secreti. reg°. 16 c. 64.)

XXXVIII.

MCCCCXLIIII. die III. Martii.

Cum alias captum fuerit in hoc consilio, quod mitteretur unus noster secretarius ad Reverendissimum dominum Cardinalem sancti Angeli et Serenissimum dominum Regem Polonie, qui hucusque expeditus non fuit, Et prefati Reverendissimus dominus Cardinalis et Serenissimus dominus Rex venerint in Hungariam, Et bonum ac conveniens sit intelligere agenda illa; Vadit pars quod dictus secretarius noster expediatur et mittatur in Hungariam ad prelibatos dominos Cardinalem et Regem, cum illa commissione, que sibi dabitur per hoc consilium.

De parte	101.
De non	3.
Non sinceri	1.

(*Archivio di Stato Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16 c. 72.)

XXXIX.

MCCCCXLIIII. die VI. Martii.

Commissio circumspecti viri Johannis de Reguardatis.

Johannes. Mandamus tibi quod cum omni celeritate possibili per viam Segne, quam meliorem et breviorem esse tenemus, Budam te transferre solicites, ubi per ea que habemus verisimiliter invenies Reverendissimum dominum Cardinalem sancti Angeli, legatum apostolicum, quem cum Serenissimo domino Rege Polonie et Hungarie illuc advenisse tenemus, dabisque operam te conferrendi ad presentiam sue Reverendissime Paternitatis, cui presentatis litteris nostris credulitatis, tibi exhibitis, factisque illis amplissimis salutationibus et oblationibus, quas dignitati sue Reverendissme Paternitatis et nostre noveris expedire, nostri parte expones: Quod ultime littere, quas a sua Rev[a]. dominatione accepimus, date fuerunt apud Sophiam IIII decembris preteriti, quibus libuit ei, pro ingenti sua caritate et affectione ad nos et nostram rem publicam, reddere nos participes de excellenti et gloriosa victoria, quam omnipotens Deus, dexteram sue immense virtutis extendens, sue Reverendissime Paternitati ac illi exercitui Christi fidelium contra perfidos teucros concedere dignatus est. Intervenientibus in hoc etiam excellentissimis operibus, sapientia et laboribus sue Reverendissime Paternitatis, pro quibus certe apud Deum et homines summam laudem consecutus est, de qua quidem victoria, quantum animi letitiam susceperimus profecto, vel calamo scribere vel lingua exprimere non possemus. Ad easdem autem literas sue Reverendissime dominationis, tunc fecimus responsionem, sicut per exemplum, quod ad tui advisamentum tibi dari facimus, poteris intelligere, per quam quidem responsionem nostram sua Reverendissima Paternitas clare potuit intelligere optimam mentem ardensque desiderium nostrum ad porrigendum omnes favores possibiles in facto galearum nomine summi pontificis, hic armandarum, ut infidelibus teucris impediretur omnino transitus de Asia in Europam et econverso. Paraveramus autem sicut etiam nunc parata sunt corpora galearum no-

strarum omnibus necessariis decimamque in Venetiis, ceterisque terris nostris per Romanum pontificem impositam nedum exigi permisimus, verum etiam cunctis favoribus et studiis nostris exigi facere procuravimus. Eratque, et electus est Capitaneus ipsarum galearum. [Et ultra hoc videntes pecunias decime tunc ita cito haberi non posse, cupidi, sicut prediximus votive executionis illius sancti operis, deliberavimus postpositis omnibus, derelicto Culpho nostro, ac mercaturis nostris, mittere de aliis nostris galeis in strictum Galipolis, expedireque immediate secretarium nostrum, quem ad suam Reverendissimam Paternitatem et ad Serenissimum dominum Regem predictum scripsimus nos missuros.] Verum iam pluribus diebus intelligentes, suam Reverendissimam Paternitatem una cum dicto Serenissimo Rege cum exercitu christianorum retrocessisse et in Hungariam remeasse, bonis necessariisque causis et respectis perseverantes in solita bona dispositione nostra galearum predictarum. In casu quo hoc tempore novo ijdem Reverendus dominus legatus, et Serenissimus Rex cum potenti exercitu adversus teucros redire disponant, quoniam si aliter esset, frustra esset accessus galearum predictarum, mittere te statuimus ad presentiam sue Reverendissime Paternitatis, ut declares sibi nostri parte, hanc optimam mentem et dispositionem nostram, faciendi omnia possibilia pro bona executione illius sancti operis, utque intelligas deliberationem, que in rebus illis fiet per suam Reverendissimam dominationem et Serenissimum Regem predictum, ut nos habita informatione ista providere possimus quantum noverimus opus esse. [Subiungendo etiam sue Reverendissime Paternitati quod etiam si galee, que nomine summi Pontificis hic armari debent, hinc ita cito fortasse non expedirentur; Nos parati erimus veluti summe avidi exaltationis fidei christiane, mittere de aliis galeis in strictum Galipolis, et facere quantum superius dictum est, in quantum iidem dominus Legatus et Serenissimus Rex potenti manu adversus teucros, ut prefertur, ire disponant.]

Preterea sue Reverendissime Paternitati expones, quod ex predictis literis suis ex Sophia nobis scriptis inter cetera intelleximus, quantum in factis Galipolis nobis dixit quod processisse

cognoscimus ex singulari benivolentia et affectione, quam habet nostro dominio pro qua quidem infinitas gratias habemus Reverendissime dominationi sue.

De responsione autem, quam habebis ab ipso domino legato et de omnibus illis in partibus occurrentibus, que mentione digna fuerint, nos solicite tuis literis informabis, dando nobis in specie bonam et particularem advisationem, si ijdem Serenissimus Rex et dominus Legatus hoc tempore novo, cum potenti exercitu redire decreverint contra teucros.

Deinde dabis operam te conferrendi ad presentiam prefati Serenissimi domini Regis, sibique exhibitis literis nostris credulitatis tibi consignatis, factisque illis congruis exhortationibus et oblationibus, quas honori sue Regie Maiestatis et modo, noveris convenire, expones quod libuit sue Serenitati pro multa eius affectione ad nos, suis literis nos reddere certiores, de gloriosis victoriis, quas summus Deus Sue Regie Maiestati et exercitui Christianorum, sua infinita clementia concedere dignatus est. Interveniente etiam summa virtute, sapientia, excellentissimisque operationibus Sue Serenitatis. Est enim res certa, multis iam retroactis temporibus neminem christianum principem, rem tam maximam confecisse. Ita ut dominia christianitatis, sue Serenitati propterea merito obligentur. Nos vero pro eisdem victoriis, certe dicere non possemus, quantam animi consolationem quantumque gaudium acceperimus. Et licet tunc responderimus ad literas sue Serenitatis, declarantes eidem optimam mentem, et summum desiderium nostrum, ad porrigendum favores nostros galearum nostrarum suprascriptarum, tamen visum est nobis per te etiam sue Regie Maiestati facere declarari hoc desiderium et rectam intentionem animi nostri. Et conformando te cum his, que superius diximus exponenda Reverendissimo domino Cardinali legato, volumus quod notifices ipsi Serenissimo Regi, quod deliberante sua Serenitate hoc vere proximo cum potenti exercitu, ire contra teucros, nos faciemus in facto galearum predictarum mittendarum in strictum Galipolis quantum continetur in precedenti capitulo expositionis tue fiende circa hanc materiam galearum prefato Reverendissimo domino Cardinali legato. Et de responsione sue Regie Maie-

statis ac de deliberatione que fiet, et aliis occurrentibus, nos solicite tuis literis advisabis non recedendo absque speciali nostro mandato.

Si post apulsum tuum ad illas partes fortasse haberes noticiam aliquam quod vel Magnificus Comes Mathicus vel Bannus Francus eius frater fecissent, aut facere vellent, querelam aliquam apud prefatum Serenissimum Regem, aut per eos tibi diceretur quicquam de factis Polize et Dalmisse, que loca, ut scis Comes noster Spaleti de manibus Comitis Stefani publici hostis nostri, nuper accepit. In hoc casu volumus, quod bonis et pertinentibus verbis ostendendo tamen a te ipso loqui, et quod nullum a nobis habeas ordinem super hoc eidem comiti Maticoni, seu Banno Franco dicere debeas, quod quodadmodum ipsi sciunt, nos ad eos habuimus semper singularem benivolentiam et amorem, quem profecto nedum conservare, sed si plus addi possit, augere disponimus. Quodque re vera nullum a nobis habes mandatum in ista materia set bene in recessu tuo a nostra presentia intellexisti loca Polize et Dalmisse fuisse accepta per Comitem Spaleti de manibus publici hostis nostri. Advisabisque Magnificentias suas, nos iam diu, ut notorium est, fuisse et esse in aperto bello cum Comite Stefano Vayvoda, qui multas iniurias nobis fecit, et sicut ex guerris occurrere solet, gentes nostre acceperunt de manibus dicti Comitis Stefani loca ipsa Polize et Dalmisse, que credis iusto bello accepta fuisse. Commemorando etiam Magnificentiis suis, quod Serenissimus Rex Bossine nuper electus, nobis explicari fecit quod etiam ipse ius pretendit in locis predictis, cui convenienter et honeste respondimus. Et ita etiam credis, quod cum suis Magnificentiis nostrum dominium nollet aliud nisi quantum iuri et honestati conveniat. Et cum his et aliis bonis et modestis verbis, dabis operam iustificandi et honestandi intromissionem factam de locis predictis, volentes quod si ita expedire cognoveris de premissis etiam conferras cum Reverendissimo domino Cardinale legato, vel ante vel postquam fueris cum predictis Comite Maticone et Banno Franco sicut utilius tibi videbitur, accipiendo favores suos ut super hoc sua Reverendissima dominatio loquatur et operetur quicquid boni poterit in iustificationem cause nostre. Et hoc

dicimus tam cum predictis Comite Mathicone et Banno Franco quam etiam cum Serenissimo Rege predicto, in casu quo de ista materia aliqua querela facta fuisset seu fieret sue Regie Maiestati. Reddimur namque certissimi, quod idem Reverend. dominus Legatus propter multam eius affectionem ad nos, omnia libenti animo faciet, nostro intuitu. Verum si de factis Polize et Dalmisse nullam querimoniam aut mentionem fieri sentires in partibus illis, volumus, quod tu similiter nichil in predictis dicere debeas.

Fecimus literas nostras credentiales dirrectivas ad Magnificum Capitaneum Jannem, volentes et mandantes tibi, quod si Bude vel in locis illis proximis se repperiret ad eius visitationem te conferras, et sub eisdem litteris credulitatis factis sue Magnificentie salutationibus et oblationibus opportunis, verbis convenientibus secum nostri parte congratulaberis de gloriosis victoriis per eum obtentis, mediante divina clementia et multa magnanimitate et virtute sua, offerendo nos et nostram rem publicam ad honores et comoda Magnificentie sue tota mente dispositos.

Similiter etiam tibi dari fecimus literas credulitatis dirrectivas Magnifico Comiti Mathiconi et Banno Franco fratri suo volentes, quod si Bude se repperient cum prefato Serenissimo Rege ad eorum visitationem accedas, et sub nostris litteris predictis post salutationes et oblationes cum bonis et generalibus verbis que tibi utilia videbuntur, offeres nostrum dominium ad cuncta eorum beneplacita paratissimum. Non faciendo tamen modo aliquo, aliquam mentionem de factis Polize et Dalmisse, nisi in casibus, de quibus tibi superius fecimus mentionem.

De parte 72.

Ser Thomas Michael
Ser Paulus Truno procurator
Ser Federicus Contareno
Ser Hermolaus Donato
Sapientes consilii.
Ser Andreas Bernardo
Sapiens terre firme

Volunt partem suprascriptam per totum, exceptis verbis signatis in primo capitulo inter [ ]

De parte	46.
De non	2.
Non sinceri	8.

Item die XXIII Martii additum fuit cum Collegio supradicte commissioni capitulum infrascriptum:

Volumus insuper, quod si in Buda ad appulsum tuum, se repperiret Illustrissimus dominus despotus Rassie seu si donec ibi stabis illuc veniret, ad eius presentiam te conferas, sibique presentatis literis nostris credulitatis, factisque convenientibus salutationibus et oblationibus, expones quod cum semper habuerimus sue Excellentie singularem benivolentiam et affectionem, re vera de rebus suis adversis summam displicentiam habuimus. Deinde vero quando nuper sensimus ipsum Illustrissimum dominum recuperasse bonam partem sui status, profecto magnam animi consolationem accepimus congratulamurque plurimum secum de prosperitatibus suis, quas, cum diligamus eum veluti carissimum fratrem, proprias reputamus tenemusque et firmiter nobis persuademus, quod ad hoc etiam intervenientibus optimis operationibus et exhortationibus sue Excellentie providebitur per modum, quod Serenissimus dominus Rex Polonie et Hungarie hoc presenti vere, una cum ipso Illustrissimo domino despoto, cum potentissimo exercitu se conferret contra perfidos teucros, ut de illis partibus christi fidelium expellantur, utque idem dominus despotus reintegretur et sit bene securus in statu suo, ad quam quidem vero nos semper fuimus et sumus, pro quanto ad nos attinet, optima mente dispositos. Et si ijdem Serenissimus Rex et dominus despotus cum potenti exercitu ibunt, sicut prefertur, nos infallanter mittemus galeas nostras, que nomine summi Pontificis hic armantur in strictum Galipolis ad impediendum transitum de Asia in Europam et econverso teucris antedictis, ut sequatur illum effectus in hoc sancto opere quem tota mente desideramus; dabis quoque informationem ipsi domino despoto de provisionibus hic factis pro armamento ga-

learum predictarum sicut continetur in capitulo expositionis per te fiende prefato Serenissimo Rege.

(*Archivio di Stato Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16, c. 73.)

XL.

MCCCCXLIIII. die XXI. Martii.

Quod Consiliarius mensis teneatur sub pena ducatorum Centum in propriis eius bonis dare per totam diem lune XXIII presentis Circumspecto secretario nostro Johanni de Reguardatis ituro, ut captum est, ad Serenissimum dominum Regem Polonie denarios pro ipsius expeditione necessarios, ita quod sequatur viam suam. Verum si in via sua idem Johannes repperiet Reverendissimum dominum Cardinalem, referat sue Reverendissime paternitati ea que ei exponere habebat, ac causam sui accessus, et sequatur viam suam ad Regem, et alios ut in commissione sua cavetur. Si vero non reppериretur dictum Reverendissimum dominum Cardinalem, sequatur formam commissionis et dicat domino cardinali et Regi ea que dicere habet, si Cardinalis ibi erit, si vero Cardinalis ibi non esset, exponat Regi et ceteris ea que exponere habet.

De parte alii. De non 1. Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16, c. 79 t.)

XLI.

MCCCCXLIIII. die XXIII. Martii.

Illustrissimo domino duci Burgondie.

Illustrissime Princeps et Excellentissime domine. Duas literas Celsitudinis vestre datas die X. mensis Februarii proximi lapsi humanitate et benivolentia plenas, solita affectione suscepimus, que principaliter de classe maritima adversus perfidos crucis et christiani nominis hostes teucros expedienda faciunt

mentionem. In primis itaque Excellentie Vestre quantas possumus gratias habemus, que pro eis innata clementia, naturalique mansuetudine de nobis et nostra republica tam caritative et honorifice loquitur, nostramque vetustissimam et optimam dispositionem ad commoda christianitatis adeo commendat et magnifacit, que omnia a vero fonte sinceritatis et affectionis vestre Excellentissime dominationis ad nos et rem publicam nostram provenire cognoscimus, quam rursus certificamus nos esse illius optimi, constantissimique propositi cuius semper fuimus ad salutem et comoda reipublice cristiane, pro qua, sicut universo orbi notissimum esse potest, non modo labores et opes, sed personas, cruorem et vitam, nullo unquam tempore adversus impios teucros exponere, nec effundere dubitavimus. Iocundissimum insuper nobis fuit ex ipsis literis rursus audire, quod tamen dudum ante et literis et experientia exploratissimum nobis erat, Vestram silicet Celsitudinem ad continuationem illius sanctissimi propositi sui circa favores et subsidia prestanda pro expeditione maritime classis, et circa alia opportuna ad sublimationem et decus fidei Catholice, ac infidelium teucrorum excidium adeo ferventissimam esse ac tota mente dispositam. Ex quibus universa christiana religio Ipsi Vestre Christianissime Celsitudini non modo gratias agere, sed se ipsam obnoxiam reddere debet, ac super celestem Regem Regum pro salute sublimis persone vestre devotissime exorare. Ut autem ad responsionem ipsarum literarum vestrarum particulariter descendamus, in earum altera Excellentia veśtra nos hortatur et rogat, ut illas quatuor galeas, quas contra teucros solummodo alias comodare promisimus, sumptibus vestris armandis in hac urbe nostra Venetiarum parari faciamus, ita ut vestri quos ad rem exequendam, huc mittere statuistis, illas paratas inveniant. Ad hoc dicimus, quod perseverantes in iamdicta nostra optima dispositione, ac in ea oblatione quam Celsitudini Vestre fecisse non obliviscimur, Eas illico parari faciemus, et in ordine poni omnibus rebus et fulcimentis ad navigationem opportunis ita ut deo dante, cum vestri huc attigerint, illas paratas et fulcitas invenient. At quoniam Excellentia Vestra subdit, quod si per fortunam, vel aliter accideret ipsas galeas vel earum aliquam periclitare, vel damnificari

(quod tamen deus avertat) pro damno suscepto, nobis condignam faciet recompensam, dicimus, quod in divina clementia et bonitate confidimus, quod ipsas galeas, et reliquas omnes salvas faciat, et illesas servabit, illisque concedet victoriam et triumfum, sed si quid adversum de illis accideret (quod absit) non expedit, ut Excellentia Vestra de aliqua recompensatione nobis fienda curam aliquam habeat, neque aliquod faciat cogitamen, quoniam ipsas obtulimus et offerimus, cum hac intentione, quod omne periculum corporum ipsarum quatuor galearum nostrum sit. Per aliam autem literam Celsitudo Vestra a nobis certificari petit, quid actum sit, quidve speremus de classe maritima hic armanda et expedienda nomine summi pontificis, et de quibusdam aliis particularitatibus ad hanc materiam pertinentibus, Ad que omnia pro declaratione vestra, ac pro rei veritate, dicimus, Quod iuxta oblationem, alias per nos summo pontifici factam, de qua, Celsitudini vestre noticiam dedisse meminimus, parari fecimus, et in ordine poni decem corpora galearum, quas, omnibus rebus, munitionibus, et fulcimentis suis, paratas habemus, et tenemus, ad omne ipsius summi pontificis beneplacitum, pro huius itaque classis maritime expeditione adversus perfidissimos teucros tantum. Eius Sanctitas huc misit Reverendissimum dominum Cardinalem Venetum vicecancellarium Apostolice sedis legatum, qui classem ipsam personaliter ascendere debet. Nos autem ipsi Reverendissimo domino legato libere consensimus, ut ab universo clero huius urbis nostre, aliarumque omnium terrarum et locorum nobis subditorum decima quedam integra exigatur, de qua, satis bona pecuniarum summa haberi poterit, habebuntur quoque, sicut ab ipso domino Cardinale certificati sumus, alie pecunie in bono numero ex Florentia et aliis locis Magnifice comunitati Florentie subditis, ita ut a certo speremus, has galeas decem, nomine ipsius summi pontificis citissime armari et expediri posse. De aliis autem galeis, per alios principes vel dominos in Italia armandis, nil certum dicere possumus, neque scimus, Sed ad informationem Excellentie Vestre dicere possumus, quod cum his galeis decem pro summo pontifice, et quatuor pro Celsitudine Vestra hic armandis, si omnes quatuordecim invicem unientur, ad custodiendum strictum galipolis, et

transitum infidelibus teucris prohibendum sufficient. Pro quanto autem tempore classis ista stipendiari debeat a certo dici non posset, Nam secundum prosperos, aut tardos rerum successus, tam maritimos, quam terrestres, classis ista maritima, et celerius et tardius perficere poterit opus suum. Et quoniam sicut Celsitudini vestre notissimum esse potest, singulis annis armari facimus, et armatas tenemus in mari plurimas galeas pro securitate et tuitione locorum nostrorum maritimorum, multarumque navium, galearum, et navigiorum nostrorum, que mercature gratia ad diversas orbis regiones navigant, quamquam sicut supra diximus parari fecerimus, pro summo pontifice decem corpora galearum, cum earum fulcimentis, sumptibus nostris, que etiam de patronis ac nostris civibus et subditis armabuntur, et in parte de pecuniis nostris, et subditorum nostrorum expedientur, Et quamquam etiam ipsas quatuor galeas fulcitas Vestre sublimitati, libentissime, ac liberalissime comodemus, que similiter, nostris patronis, et hominibus armabuntur, sicut armantur alie pro summo pontifice, nichilominus, secundum exigentiam rerum et temporum si pro hoc sanctissimo opere, videbimus opus esse aliquo maiori subsidio galearum, adversus ipsos perfidissimos teucros, promptissimi erimus, ex galeis nostris, quas de presenti ad custodiam maris habemus, et que sunt illis partibus satis proxime aliquas mittere et oportunum prestare subsidium, pro votiva huius cristianissimi operis executione, et gloriosa victoria consequenda. Hoc tamen ad advisamentum vestrum, pretermittere nolumus, quod nisi terrestris exercitus ex Hungaria et aliis regionibus circumvicinis contra ipsos teucros potenter accederet, hec classis maritima, etiam si esset multo potentior, nichil omnino proficeret. Ob hanc itaque causam, sentientibus nobis sicut etiam ad noticiam Celsitudinis Vestre pervenisse credimus, Serenissimum dominum Regem Hungarie et Polonie, cum reliquis principibus suis, et exercitu christianorum in Hungariam, et ad loca propria rediisse, Nam post plurimas victorias de infidelibus teucris habitas, cum eorum maxima clade, exterminio et interitu, tandem idem Serenissimus Rex non valens tantum christianorum exercitum, in illis regionibus longinquis et sterilibus, ferro et igne consumptis, propter victualium carentiam, ulterius substen-

tare se se, et ipsum exercitum retrahere, et ad propria remeare deliberavit, cum intentione tamen sicut fertur tempore veris proximi, novum exercitum restaurandi, et rursus adversus iamdictos immanissimos teucros in eorum excidium redeundi. Et licet habeamus Reverendissimum dominum Cardinalem Sancti Angeli Apostolice sedis legatum ex Hungaria in Italiam venturum, quem, usquè ad breves dies, hic futurum existimamus, Tamen mittere statuimus ad conspectum ipsius Serenissimi Regis Hungarie unum secretarium nostrum ad certificandum eius Serenitatem de provisionibus et apparatibus factis et fiendis pro armamento et expeditione huius maritime classis, Et insuper ad exhortandum, et inducendum Serenitatem suam, ad ipsum exercitum terrestrem celeriter parandum, et potentissime transmittendum, qui secretarius noster iam discessit, ac recto itinere festinanter ad ipsius Serenissimi Regis presentiam proficiscitur. Interea, si vel per adventum ipsius domini Cardinalis, vel ab ipso secretario nostro, aut aliter quicquam dignum habebimus cum Magnifico oratore vestro domino de VVanvm (sic), quem sicut scribitis, cum literis cambii, pro pecuniis ad rem opportunis ad presentiam nostram mittere statuistis quem libenti animo videbimus, intuitu Celsitudinis Vestre, omnia ad hanc materiam pertinentia, continue conferemus, ac fraterne comunicabimus, sibique et reliquis qui hic, nomine Excellentie Vestre aderunt, circa armamentum, et expeditionem ipsarum quatuor galearum, nomine vestre Celsitudinis armandarum, quicquid favoris, et comodi possibile nobis fuerit impendemus. Hec sunt, que pro presenti, ad responsionem literarum, et informationem Celsitudinis Vestre circa materiam huius maritime classis, contra nefandissimos hostes teucros, nobis occurrunt, ex quibus Excellentia vestra omnem statum harum rerum substantialiter et veridice poterit intelligere.

De parte omnes.
De non 0.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 81.)

XLII.

MCCCCXLIIII. die VI. Aprilis.

Cum venerit ad presentiam nostri dominii Reverendissimus dominus Cardinalis vicecancellarius legatus apostolicus, et maxima instantia requisiverit, consideratis his que nuper habuit in mandatis a Romano Pontifice, quod cum bona licentia nostra, possit ponere banchum pro armandis galeis que nomine summi pontificis hic armari debent, sicut pluries extiti sibi promissum. Sitque honor et debitum nostri dominii satisfacere in hoc voluntati summi pontificis, et requisitioni prefati Reverendissimi domini Cardinalis, maxime in his, que utilia esse possint et comodi rei publice nostre, attento precipue, quod sua Reverendissima paternitas nos certifient, quod postquam iste galee armate et expedite fuerint, dispositus est semper sequi, tam in stando, quam in recedendo, quantum erit mentis et intentionis nostri dominii.

Vadit pars, quod respondeatur eidem Reverendissimo domino Cardinali, quod sicut sepenumero sibi diximus, nos fuimus semper, et sumus tota mente dispositi ad bonam executionem huius sancte operationis, et id quod promisimus effectualiter observare, et ita in solita optima dispositione nostra perseveramus, quod ponere possit banchum et procedere ad armamentum galearum predictarum. Verum ex bonis causis, et respectibus, hortamur Suam Reverendissimam paternitatem ut differe velit, ad poni faciendum banchum per hos modicos dies, videlicet usque ad festa proxime pasce, quoniam iudicamus longe magis conferre armamento, et bone expeditioni galearum predictarum differe his modicis diebus, quam nunc procedere ad ponendum banchum, ut dictum est.

De parte 62.

Ser Ieronimus Laudo Sapiens Ordinum

Vult quod respondeatur dicto domino Cardinali, quod sicut sepenumero diximus, fuimus semper et sumus optimamente dispositi ad bonam executionem huius sancti operis, et satisfacere

promissis Summo Pontifici, et requisitioni sue Reverendissime paternitatis, Verum omnibus consideratis, bonis respectibus, et pro comuni bono et pro meliore executione huius intentionis, et bonė dispositionis nostre, Rogamus suam Reverendissimam paternitatem ad differendum habere hanc nostram responsionem, quousque secretarius noster quem missimus ad Serenissimum dominum Regem Polonie, sicut notum est Sue Reverendissime paternitati dabit nobis informationem, de bona executione exercitus, qua audita, contenti erimus, quod ponat banchum, et armet, nosque ad celerem expeditionem suam, omnes favores nostros, libenti animo, sibi dabimus.

De parte 32.
De non 4.
Non sinceri 9.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 88 t°.)

XLIIII.

MCCCCXLIIII. die XII. Maii.

Quod scribatur circumspecto et prudenti viro Iohanni de reguardatis secretario nostro apud Budam.

Iohannes. Ex literis tuis datis Bude XXVI, XXVII et XXVIII Aprilis prope preteriti distincte et particulariter intelleximus tam responsionem tibi datam per Serenissimum dominum Regem Polonie ad ea, que nostro nomine, sibi exposuisti, quam etiam per Reverendissimum dominum Cardinalem sancti Angeli legatum Apostolicum et reliqua omnia circa deliberationem factam, et circa nova et conditiones illas Regni de quibus omnibus remanentes plenarie informati tuam diligentiam commendamus. Habuimus etiam literas ab ipso domino Cardinale legato, ad quas sibi respondere decrevimus sicut per exemplum, quod ad informationem tibi mittimus his implicitum clarius poteris intueri. Pro responsione autem literarum tuarum dicimus quod volumus ut ad conspectum illius Serenissimi domini Regis debeas te con-

7

ferre dicendo sibi quod per litteras tuas plenam nobis noticiam tradidisti de humanissimis responsionibus tibi datis per suam Regiam Maiestatem quas pro solita singulari affectione nostra erga ipsum Serenissimum Regem libenti animo intelleximus, et eo quidem libentius quo cognovimus Serenitatem suam ad rem omnipotenti Deo tam acceptissimam, sibique et christiano nomini gloriosam, animum direxisse, ac contra perfidos teucros, potenti manu hac estate omnino accedere statuisse, pro quibus quidem omnibus immensas gratias habemus et debemus sue Regie Maiestati, cognoscentes eandem ex his sanctis operationibus apud summum Deum et homines maximum meritum et immortalem laudem ac famam perpetuam consecuturam esse.

Nos vero qui ut sepenumero diximus ad hoc divinum opus pro quanto ad nos attinet fuimus et sumus tota mente dispositi, Serenitatem suam certissimam facimus, quod postpositis omnibus, etiam in contemplationem sue Regie Maiestatis solicitavimus armamentum galearum Romani Pontificis quarum expeditio iam ad tales terminos deducta est ut infra breves dies, hinc armate et bene in puncto discessure sint, Tenentes indubie quod per bonum spacium prevenient terrestrem christianorum exercitum, et in strictu Gallipolis se repperient, ultra quas galeas, cupidi votive executionis tanti boni declaramus sue Regie Maiestati quod cum de presenti habeamus armatas in mari non multas alias galeas nostras dessignatas ad alia privata nostra, et mercatorum nostrorum negotia disponimus, postpositis expensis et omnibus aliis, ex illis etiam mittere ad favores illius tam sancti operis. Notificabis etiam sue Serenitati quod cum alias, ob hanc specialem causam obtulerimus Illustrissimo domino duci Burgondie quatuor corpora galearum nostrarum munita omnibus opportunis nostris expensis. Idem Illustrissimus dominus novissime ad nos misit unum eius precarissimum nobilem, ut hic solicite armentur et expediantur galee predicte, circa quod, nos etiam omnimodam nostram operam adhibebimus. Dixit etiam nobis predictus Nobilis quod Illustrissimus dominus dux prefatus apud Niciam provincie armari fecerat tres galeas et unam galeotam, quas simul cum una navi quam etiam armari fecit, in hoc pio opere exercere disponit. Hec igitur, cum ita sint superest ut pro votiva per-

fectione huius divini negotii, Idem Serenissimus dominus Rex potentissimo exercitu, adversus hostes Crucis, solicitissime se paret, et celeriter itineri se committat. Est enim in Dei clementia cuius res agitur indubie confidendum, ac in potentissimo exercitu tam terrestri quam maritimo, quod anno isto sequetur ille effectus, qui ab omnibus Christi fidelibus tantopere desiderari debet, cum nostro iudicio cognoscamus quod nisi anno isto detur executio huic sancto negotio diebus nostris, tempus tam accomodatum, resque tam bene disposite inveniri non poterunt, Et etiam non accedente in tempore exercitu antedicto frustra esset accessus in strictum classis predicte. De premissis autem volumus quod Illustrissimo domino despoto ac Magnanimo Capitaneo domino Iohanni Vaivode Transilvano, oretenus, vel per literas plenam noticiam dare debeas ac aliis proceribus et dominis principalibus in hoc facto tum ut intelligant ardens desiderium nostrum, et que per nos acta sunt, tum etiam ut magis animentur ad celerem eorum accessum contra teucros predictos.

Placet nobis quod tam per medium Reverendissimi domini Cardinalis legati, quam aliter bonam informationem acceperis de condictionibus ac de divisionibus illarum partium, libenterque videre vellemus quod deveniretur ad illas treuguas de quibus facis in tuis litteris mentionem, Et ut ita sequatur, utile iudicamus, quod per prefatum dominum legatum omnia fienda sint, ut non impediatur aut retardetur accessus exercitus suprascripti. Quare volumus ut hanc materiam bene intelligere studeas, et si sequentibus vel non sequentibus treuguis antedictis Serenissimus dominus Rex prefatus, et exercitus ibit omnino contra Teucros predictos, Et tam de hoc quam de omnibus aliis que mentione digna sint, nos solicite tuis literis informabis.

Preterea ad advisamentum denotamus tibi quod novissime hinc recessit unus Ambassiator Serenissimi domini Regis Aragonum venturus ad presentiam illius Serenissimi domini Regis. Volumus itaque et mandamus tibi quod cum orator ipse fuerit cum ipso Serenissimo domino Rege des operam per illos dextros et bonos modos, qui tibi videbuntur intelligere quantum exposuerit illo Serenissimo Regi, et de omnibus que sentire poteris reddes nos tuis literis certiores.

Volumus insuper quod cum exercitu predicto, quando se levabit debeas te conferre advisando nos solicite de progressibus suis et de omnibus que sequentur, Et ut istud comode facere possis, mittemus ad te cito pecunias necessarias.

De parte 128.
De non 1.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Senato Secreti, reg. 16 c. 90.)

XLIV.

MCCCCXLIIII. die XII. Maii.

Reverendissimo domino Cardinali sancti Angeli Legato Apostolico.

Reverendissime Pater.

Etsi omni tempore grato et libenti animo videamus omnes litteras vestre Reverendissime Paternitatis, eo tamen libentius et iocundius has ultimas vestras audivimus datas XXV et XXVIII Aprilis nuper decursi, que nobis nunciarunt rem omnipotenti Deo acceptissimam, ac christiano nomini gloriosam, et summopere necessariam, videlicet Serenissimum illum dominum Regem omnino firmiter statuisse ac iurasse in manibus vestris una cum baronibus et aliis dominis ac primatibus Regni illius adversus perfidos teucros, hac presenti estate potenti exercitu se transferre de qua quidem tam sancta tamque utilissima deliberatione profecto exprimere non possemus quantam animi consolationem quantumque gaudium acceperimus, cognoscentes hoc divinum opus maxima ex parte propria virtute et singulari sapientia vestra procedere propter quod apud Summum Deum et homines maximum meritum et immortalem laudem consecuturus estis. Nos autem qui, ut sepenumero diximus vestre Reverendissime Paternitati ad hanc rem pro quanto ad nos attinet fuimus et sumus ferventissimi, ac tota mente dispositi Vestram Reverendissimam dominationem certam efficimus quod postpositis omnibus solicitavimus cum gravissimis sumptibus nostris armamentum galearum Ro-

mani Pontificis quarum expeditio iam ad tales terminos deducta est, ut infra breves dies, hinc armate et bene in puncto discessure sint, ita ut teneamus indubie eas per bonum spacium, prevenire debere terrestrem christianorum exercitum, et in strictum galipolis se recipere, ultra quas quidem galeas cupidi ut ea que fienda sunt pro votiva executione tanti boni potentius fiant Vestre Paternitati Reverendissime declaramus quod cum de presenti habeamus armatas in mari nonnullas alias galeas nostras dessignatas ad alia privata nostra et mercatorum nostrorum negotia, disponimus postpositis expensis et aliis omnibus ex illis etiam mittere ad favores huius tam sancti operis. Notum insuper vobis facimus quod cum alias ob hanc specialem causam obtulerimus Illustrissimo domino duci Burgondie quatuor corpora galearum nostrarum munita omnibus opportunis, nostris expensis. Idem Illustrissimus dominus dux novissime ad nos misit quemdam suum nobilem precarissimum ut hic solicite armentur et expediantur galee predicte, Et ita fieri celeriter faciemus. Dixit etiam nobis predictus nobilis quod Illustrissimus dominus dux prefatus apud Niciam provincie armari fecerat tres galeas et unam galeotam quas simul cum una navi quam etiam armari facit, in hoc pio opere exercere disponit. Intelligit itaque Reverendissima Vestra Paternitas quale ad rem hanc sit ardens desiderium nostrum. Et quampotens maritima classis in brevissimo spacio, strictum galipolis petitura sit. Superest igitur, ut pro votiva perfectione huius divini negotii Serenissimus dominus Rex predictus, vestraque Reverendissima Paternitas simul cum aliis proceribus et dominis deputatis, potentissimo exercitu adversus hostes crucis, solicitissime se parent et amotis dilationibus itineri se committant. Est enim in Dei clementia cuius res agitur, indubie confidendum ac in potentissimo christianorum exercitu tam terrestri quam maritimo quod anno isto sequetur ille effectus contra perfidos teucros qui ab omnibus Christi fidelibus tantopere desiderari debet. Ad accellerandum itaque ea que fienda sunt, licet existimemus id apud vos non oportere, tamen Reverendissimam Paternitatem vestram quantum possumus excitamus, cum nostro iudicio cognoscamus quod nisi anno isto detur executio huic sancto operi amplius diebus nostris tempus tam accomoda-

tum resque omnes tam bene disposite inveniri non poterunt, et etiam non accedente in tempore exercitu antedicto frustra esset accessus in strictum classis predicte.

Circa partem autem per quam Vestra Reverendissima dominatio nos hortatur ut Romano Pontifici opportune scribamus, ut vobis provideatur etc. Respondemus quod propter singularem affectionem nostram ad Reverendissimam personam vestram, profecto nedum scribere summo pontifici, verum etiam personaliter ire vellemus ut satisfaceremus honeste requisitioni vestre. Sed advisamus Reverendissimam Paternitatem vestram quod super hac re quam primum opportune contulimus cum Reverendissimo domino cardinali vicecancellario hic existente qui nobis dixit quod iam multis diebus hinc expediverat ad Summum Pontificem dominum Episcopum coronensem propter hanc et alias causas quem die dominico proximo XVII presentis verisimiliter hic expectat, speratque indubie per eius adventum intelligere sufficienter esse provisum Reverendissime Paternitati vestre. Prestolabimur igitur eius adventum ut intelligamus, quid actum erit certificantes vos, quod ex latere nostro omnia faciemus, que Reverendissime Paternitati vestre grata et commoda esse possint. Auditis demum suasionibus vestris ut scilicet secretarius noster illic existens cum exercitu predicto se conferat iussimus ei quod ita facere debeat.

De parte 129. De non 4. — 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Senato Secreti, reg. 16 c. 91.)

XLV.

MCCCCXLIIII. die XXV. Maii.

Cum expeditio galearum armatarum per Summum Pontificem ducatur in longum, et sit, ob Dei reverentiam, et bonum ac comodum christiane religionis, et honorem nostri dominii providendum, Vadit pars, quod illico mittatur pro Reverendissimo domino Cardinale Veneto vicecancellario legato Apostolico, Cui dicatur.

Quod ut novit, ob Dei reverentiam, et tanquam boni devotissimique filii Summi Pontificis, et sequentes vestigia predecessorum nostrorum, qui pro fide Christi indefesse, continue elaborarunt, nullo habito respectu ad proprias expensas, vel aliquod incomodum locorum, et fidelium nostrorum, ad requisitionem ipsius Summi Pontificis fuimus contenti dare has galeas et quod armarentur et mitterentur pro favore christianorum contra teucros sancte crucis inimicos, ac quod ut armarentur, decima clero nostro imponeretur et exigeretur, Scripsimusque, et successive misimus secretarium nostrum ad Serenissimum dominum Regem Polonie, et alios principes illarum partium notificantes eis hoc galearum armamentum, et hortantes ac suadentes ad restaurandum exercitum et magnanime procedendum, pro augmento fidei Catholice contra teucros antedictos, Et viso qualiter procedit hoc factum galearum, reverenter iuxta consuetudinem nostram loquentes, non parum gravamen, et dolemus de Summo Pontifice antedicto, Nam videmus Sanctitatem suam non attendere ad earum expeditionem, imo in denariis decime, ob hanc causam imposite, manus posuisse, et in gentibus armigeris, et aliis rebus, ex eis dispensasse, non sine diminutione honoris Sanctitatis Sue, et nostro, ac periculo christianorum. Et eo maxime dolemus, quia nisi solicitetur accessus galearum suprascriptarum, cognoscimus prefatos Serenissimum dominum Regem, et alios principes, et ductores exercitus christiani, de nobis se posse dolere, nam ob promissiones nostras de galeis predictis, et hortamina nostra, longe citius et ferventius, omnes inducti sunt ad restaurationem exercitus suprascripti quam fecissent, et forte in castris non exivissent, nisi fuissent nostra hortamina, et promissiones predicte, Et licet licite, nulla alia facta instantia vel requisitione, si Summus Pontifex non caripendit honorem suum, deberemus pro honore nostro, et comodo christianorum attento maxime, quod dicte galee nostris expensis parate fuerunt, et dici potest, quasi eas esse armatas de pecuniis cleri nostri, deponere banderias Summi Pontificis, et cum nostris, dictas expedire galeas, et mittere contra Teucros, tamen ob reverentiam, et affectionem nostram ad Beatitudinem Suam deliberavimus alloqui Reverendissimam Paternitatem suam, eamque exorare, et requirere,

ut ei libeat absque alio intervallo expedire se, et galeas predictas, quam tempus non patitur ulterius differe, et ut hoc melius facere valeat, nullatenus, nec pro expensis, nec pro provisione sua quicquam accipere, sed cum suis propriis pecuniis se expedire, et animadvertere, quod tantam incurreret ignominiam, si defectu sui, accessus harum galearum retardaretur, quod non solum debet pecunias suas pro expensis in specie ei necessariis exponere, sed etiam de illis pro expeditione galearum suprascriptarum acomodare. Nam sua Reverendissima Paternitas bene habebit modum illas postea recuperandi et habendi, Et si sua Reverendissima Paternitas aliquo eget favore pro decime exactione illum dare sumus parati, sicque ei detur auctoritate huius consilii, omnis favor possibilis, quia tenemur quod si bene videbuntur he rationes, habebuntur denarii ad sufficientiam pro expeditione harum galearum, et ultra, declarantes ipsi sue Reverendissime Paternitati quod nisi dictas galeas, iuxta requisitionem nostram, expedire studeat, nollentes tantum pati onus, et ignominiam, cum nisi Summus Pontifex suum extimet honorem, nos nostrum carum habemus, coacti erimus providere.

Et commemoretur prefato Reverendissimo domino legato, ac instetur, ut provideatur Reverendissimo domino Cardinali Sancti Angeli.

De parte 92.

Ser Franciscus Mauro Sapiens Ordinum.

Quod differatur hec materia galearum usque cras, et interim dominium sit cum Reverendissimo domino Cardinale, et cum eo loquatur apertissime, et intelligatur particulariter per dominium quicquid super ista causa tam de denariis, quam de galeis, haberi et intelligi poterit, et cum eo quod habebitur veniatur ad hoc consilium.

De parte 11.
De non 3.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 95 tergo.)

XLVI.

MCCCCXLIIII. die XVII. Iunii.

Quod fiat Commisio Viro Nobili Aluisio Lauredano procuratori Ecclesie Sancti Marci Capitaneo Galearum nomine Summi Pontificis hic armatarum in hac forma videlicet:

Ser Franciscus Barbadico proc.
Ser Federicus Contareno
Ser Andreas Mauroceno
Ser Marcus Foscari proc.
Ser Hermolaus Donato Sapientes Consili
Ser Nicolaus Memo
Ser Zacharias Bembo
Ser Nic. de Molino Sapientes Terre Firme

Reformatum ut aparet infra ad c. 102.

Nos Franciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum etc. Commitimus tibi Nobili Viro Aluisio Lauredano procuratori Ecclesie S. Marci dilecto Civi et fideli nostro: Quod in nomine Domini nostri Ihesu Christi et in bona gratia et victoria vadas Capitaneus presentium galearum, que iuxta promissiones nostras nomine Romani Pontificis hic armate sunt (ut in strictum Galipolis) in tam divino opere contra perfidos Teucros exerceantur. Et quoniam, ut nosti Summus Pontifex dessignavit Reverendissimum Dominum Cardinalem Venetum Vicecancellarium Legatum suum super hac maritima classe, tanquam caput et principale, non solum istarum galearum tibi commissarum, verum etiam aliarum galearum, que tam de hinc, quam aliunde nomine I. Domini Ducis Burgondie ad hanc sanctam Impresiam profecture sunt, Capitaneus quarum galearum videlicet M. Dominus de Wharin, sicut firmiter scimus et nobis promissum est, obedire debet prefato Reverendissimo Domino Cardinali Legato, declaramus tibi, quod nostre intentionis est, et volumus, et mandamus tibi, quod obedire debeas eidem R. D. Legato, sicut dignum et conveniens est, gerendo te secum affectuose et humane, sicut in prudentia et diligentia tua plene confidimus.

Deliberationes vero que fieri habebunt super partitis capiendis et super reliquis gerendis in illa impresia, volumus quod fiant in presentia R. D. Legati predicti, aut sicut magis placebit, et gratum erit sue R. Paternitati quarum quidem deliberationum executiones deinde per te fiant, sicut melius et utilius esse cognoveris.

Verum quia galee predicte hic armate nomine Summi Pontificis solummodo pro agendo contra nequissimos Teucros, parate et expedite sunt, sicut diximus R. Domino Cardinali Legato, et sicut ipse nobis amplissime promisit se facturum, declaramus tibi, quod si forte alique galee sive fuste, aut alia navigia, sive armata Sultani se repperirent in mari, seu exirent de terris et locis Sultani pro tempore, quo stabis extra, nostre intentionis est, et volumus, quod nullo modo aliqua novitas eis inferratur. Immo volumus, quod ab ipsa armata, fustis, aut aliis navigiis Sultani, galee hic armate se allonginquare debeant, et ab omni molestia et novitate penitus abstinere. Volumus quoque, quod Rhodum nullo modo cum galeis predictis te conferras. Nec etiam pacto aliquo permittere, quod aliqua de predictis galeis Rhodum se conferrat. Et si in predictis, aut aliquo predictorum, prefatus R. D. Legatus fortasse aliter vellet, aut sentiret, quod tamen non credimus propter promissionem quam nobis fecit, volumus quod verbis pertinentibus te excuses et nichilominus exequi debeas hec nostra mandata.

Declaramus tamen tibi, quod si forte alique galee aut fuste Sultani se conferrent in strictum Galipolis pro dando favorem Teucris, nostre intentionis est, et volumus, quod cum scientia prefati R. D. Legati, detur opera et declaretur, si ita habiliter fieri poterit, Capitaneis, seu Ductoribus talium galearum sive fustarum, quod armata illa est Summi Pontificis pro agendo contra Teucros, Ideoque desistant a favoribus dandis Teucris, et vadant pro factis suis, quoniam si aliud occurreret, excusas te, quia opus est, tibi obedire Legato Romani Pontificis existenti super Classe predicta.

Admonemus te insuper, quod tam I. D. Dux Burgondie, litteris suis quam etiam M. Capitaneus suus presentium galearum, suo nomine hic armatarum nobis firmiter promiserunt, Ga-

leas ipsas nullo pacto exercere velle nisi contra perfidos Teucros, Ideoque commemoramus etiam tibi, quod si fortasse, quod tamen non credimus contingeret, quod prefatus Capitaneus respectu armate Sultani, aut Rhodi, galeas predictas aliter exercere vellet, declarare sibi debeas promissiones nobis factas, sicut prefertur, et providere, quod locum habeant, et quod ista nostra intentio adimpleatur sicut in precedenti Capitulo continetur. Et si idem Capitaneus pur perseveret in opinione predicta, volumus, ut hanc mentem nostram declares Supracomitis Galearum hinc armatarum nomine predicti I. D. Ducis, ut inviolabiliter hoc mandatum nostrum observent, sub pena amittendi capita. Et ex nunc captum sit, quod de hac deliberatione nostra, tam prelibato M. Capitaneo quam etiam Supracomitis dari debeat noticia opportuna, ante suum hinc discessum. Cum prefato autem M. Capitaneo Burgondiensis, licet ex solita prudentia tua, id non expedire putemus, volumus tamen quod grate et humane te habeas honorando ipsum intuitu I. Domini sui, et facendo sibi omnia commoda possibilia.

Postquam applicueris in strictum Galipolis, si sicut credimus galee Serenissimi Domini Imperatoris Constantinopoli erunt prompte ad favores huius impresie, sicut se facturum promisit, bene quidem, Quando vero non essent ita prompte, et quod lente procederet in rebus illis, Ita quod istud utile iudicaretur, videretur nobis, quod habita prius opportuna collatione super hac materia cum R. Domino Legato, eoque in ista sententia concurrente mitteretur et daretur omnis opera apud ipsum Serenissimum D. Imperatorem Constantinopolis tam suo nomine, quam per te, nostro nomine, ut pro commodo illius sancte impresie ac Sue Serenitatis et totius Christianitatis pro viribus agere velit contra Teucros, Et omnes favores suos et commoda possibilia impendere huic divino negotio.

Si in hac profectione tua, non discedendo tamen, aut allonginquando te a recta via tua, persentires aut obviares aliquibus navigiis, que per ea, que sentires intulissent aliquod notabile damnum navigiis aut subditis nostris, volumus quod comunicata ista materia cum prelibato R. D. Legato, cum bona eius licentia

et consensu, provideas ad indemnitatem nostrorum subditorum et navigiorum contra predictos tales qui damnificassent, per illos modos qui eidem R. D. Legato convenienter et rationabiliter videbuntur, Non amittendo tamen multum temporis in prosequendo viam tuam. Quoniam notissimum tibi est, cum quanta dilatione et difficultate, data fuerit expeditio galeis predictis. Intelligis etiam, quantum necessarium sit, ut celeriter contra Teucros se repperiant, Mandamus tibi, quod solicitando viam tuam, quando eris Pole, cum licentia prefati R. D. Legati des omnem operam attergandi galeas predictas, et eas bene ponendi in ordine hominibus deficientibus, quid si in Pola in totum facere non posses, non amittendo tempus discedes, solicitando viam tuam Corphoum, quo celerius esse poterit, ubi etiam cum consensu ipsius R. D. Legati, tam de hominibus, qui deficerent a galeis, quam de panatica, que illis opus esset, galeas ipsas fulcire studebis, pro pecuniis suis, solicite discedendo et sequendo viam tuam (— Commemorando tibi quod non est nostre intentionis nec volumus quod ullo pacto diminuatur numerus octo Galearum hic armatarum et tibi commissarum).

De parte 58 — 70.

Ser Antonius Diedo Consiliarius. Vult Commissionem supradictam cum infrascripto Capitulo videlicet:

Volumus autem quod iuxta antiquissimos mores nostros, hominibus octo galearum prefati Summi Pontificis hic armatarum ius et iusticiam facias tam in civilibus quam in criminalibus et similiter facias erga homines aliarum galearum et fustarum, que nostro nomine se reperirent ad impresiam suprasciptam, de qua quidem institutione nostra tanquam rationabili et honesta scimus prefatum R. D. Legatum esse bene contentum.

De parte 44 — 53.

Ser Victor Delfino Caput de XL. Vult etiam Commissionem antescriptam cum hoc quod ad Capitulum 4 addantur verba infrascripta, videlicet: Similiter non est nostre intentio-

nis nec volumus, quod galee predicte seu aliqua earum vadant ad aliqua alia loca nobis amica pro damnificando illa.

De parte 14. De non 3. Non sinceri 4 — 2.

Sapientes ultrascripti.

Denotamus insuper tibi, quod ut ea que fienda sunt in hac sancta Impresia, magis potenter fiant, deliberavimus et mandavimus Capitaneo nostro Culfi, quod unam ex galeis nostris de Venetiis, illam videlicet, que melius erit in ordine, mittere debeat ad obedientiam tuam. Mandavimus quoque Regimini Nigropontis quod galeam nostram deinde similiter mittere debeat ad obedientiam tuam. Et hoc idem iussimus Regimini Neapolis Romanie, quod faciat de galeota nostra deinde. Similiter etiam fieri iussimus de galeota Tinarum et Michonarum, Egeopelagi et Andres. Litterasque ob hoc necessarias et preceptorias super hoc, ad te mittimus presentibus alligatis, ut in hoc accessu tuo, illas consignare seu mittere possis per illas meliores et celeriores vias que tue prudentie videbuntur. † 97. 12. 2.

(*Venezia Archivio di Stato,*
Deliberazioni Senato Secreti, reg. XVI c. 100.)

XLVII.

MCCCCXLIIII. die XVIIII. Iunii.

Cum Reverendissimus dominus Cardinalis Vicecancellarius Legatus Apostolicus lecta sibi, iuxta deliberationem factam, commissione facta per istud consilium, viro Nobili Aluisio Lauredano procuratori Capitaneo galearum, nomine Summi Pontificis hic armatarum, inter cetera fecerit tres difficultates super commissione predicta, sicut per Serenissimum Dominum Ducem isti consilio relatum est, super reformationem quarum fecerit et faciat maximam instantiam, Et omnibus consideratis sit nedum utile, sed summo necessarium dare expeditionem prefato Reverendissimo domino Legato, ut discedat, et amplius hic non ammittat tempus, Vadit pars, quod primum capitulum commissionis pre-

dicte, ubi facit mentionem, Quod prefatus Aloisius sit Capitaneus galearum Summi Pontificis hic armatarum [ut in strictu Galipolis contra perfidos Teucros exerceantur] reformetur in tantum, quod dicatur, quod Idem Aloisius sit Capitaneus galearum Summi Pontificis hic armatarum, ut contra Teucros exerceantur.

Penultimum vero capitulum commissionis predicte faciens mentionem de attergando galeas, et de numero earum nullatenus diminuendo, reformetur in tantum, quod illa verba, que faciunt mentionem de numero predictarum galearum non minuendo, tollantur de capitulo suprascripto. Verum sicut idem dominus legatus videtur remanere contentus, scribatur per literas nostras prefato Aluisio Capitaneo, quod una cum ipso Reverendissimo domino Legato esse debeat, et omnem experientiam facere, quod si possibile sit, non diminuatur numerus galearum predictarum, considerato, quantum istud importat ad bonum et comodum huius sancte impresie.

Ad capitulum autem de obedientia Capitanei, in quo prefatus Reverendissimus dominus Legatus petit addi, quod etiam Supracomiti sicut dicitur de Capitaneo sibi obediant, responderi debeat sue Reverendissime paternitati, quod quanto magis super hoc considerare voluimus, tanto magis cognoscimus et intelligimus ipsum capitulum rationabile convenientissimum, et honestum, ac honori et comodo Summi Pontificis, et sue Reverendissime Paternitatis, ac utilitati huius impresie magnopere conferre, neque dubitari, immo certissimum teneri debet, quod prefatus Aluisius Capitaneus, cognita natura, moribus, et optima conditione sua, obediens erit sue Reverendissime Paternitati, ac his mandatis nostris summo studio satisfacere procurabit. Et hoc idem per Supracomitos et alios inferiores indubie fieri certissimum teneri debet. Si autem adderemus id quod ipse Reverendissimus dominus Cardinalis appetere videtur circa hoc, manifeste cognoscimus, quod rebus gerendis in hac sancta impresia, maximum inconveniens et preiudicium sequi posset, cum onere Summi Pontificis et sue Reverendissime Paternitatis, ac singulari damno et iactura Reipublice nostre. Quas ob res hortamur ipsum dominum Legatum, ut de hac deliberatione nostra tanquam rationa-

bili congrua et honesta, velit remanere contentus, quam habentibus nobis tantum onus in hac impresia, quantum habere videmus nullo modo aliter deliberare posse videmus.

De parte 60.

Ser Victor Delfino caput de XL[ta]. Vult, quod primum capitulum commissionis reformetur in tantum, quod galee suprascripte exerceantur contra Teucros in partibus Romanie, et alibi, ubi, et sicut exercitus cristianorum contra Teucros se conferret, etiam intra Danubium, non possendo tamen dictas galeas alibi exerceri contra aliquem alium locum nobis amicum.

In reliquis autem omnibus capitulis et partibus commissio medius tertius capta, firma remaneat, Et circa hoc fiant per collegium ille rationabiles et debite excusationes cum Reverendissimo domino Legato, que merito fieri debent.

De parte 21.
De non 24.
Non sinceri 6.

Die XVII. Iunii.

Cum sicut superius scripsimus, et dici fecimus Serenissimo domino Regi Polonie et Reverendissimo domino Cardinali Sancti Angeli Legato Apostolico mittere promisimus etiam de aliis galeis nostris, ultra galeas hic armatas nomine Summi Pontificis et Incliti domini Ducis Burgondie, ad impresiam contra Teucros, sitque honor Dei, et fama nostri dominii, nostris promissionibus satisfacere, ut ea que fienda sunt magis potentes fiant.

Vadit pars, quod scribatur et mandetur Capitaneo nostro Culfi, quod unam ex galeis nostris de Venetiis, que melius erit in ordine, mittere debeat ad obedientiam viri Nobilis Aluisii Lauredano procuratoris capitanei galearum Summi Pontificis, Et ulterius scribatur et mandetur Regimini Nigropontis per galeam nostram, deinde similiter mittere debeat ad obedientiam prefati Capitanei, Et hoc idem mandetur Regimini Neapolis Romanie, quod faciat de galeota deinde, Similiter etiam facere debeat, galeota nostra Tinarum et Michonarum, Egeopelagi et Andres, ad

que loca scribatur, quantum opus fuerit, et premissa addantur in commissione Capitaneo prefatarum galearum Summi Pontificis.

De parte 97.
De non 12.
Non sinceri 2.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secreti, reg° 16 c. 101.)

XLVIII.

MCCCCXLIIII. die IIII. Iulii.

Reverendissimo domino Cardinali Sancti Angeli Legato Apostolico.

Reverendissime pater.

Ad humanissimas litteras Vestre Reverendissime Paternitatis datas V Iunii novissime lapsi respondimus aliis literis nostris quantum ad non nulla in eis contenta opportere cognovimus quas tamen replicatas mittimus his adiunctas diximus tamen quod ad quedam que nobis importare videbantur per alias nostras responderemus. Deinde etiam alias literas a Reverendissima dominatione vestra suscepimus diei XV mensis eiusdem. Per has siquidem nunciamus vestre Reverendissime Paternitati quod post earum litterarum nostrarum expeditionem videlicet die XXII ipsius mensis Iunii Reverendus dominus Cardinalis vicecancellarius legatus, in nomine Yhesu Christi cum ultima galea sua itineri se commisit ut simul cum aliis septem galeis nomine Romani Pontificis hic armatis ac cum octo aliis nostris galeis et fustis que sunt in mari in strictum ire solicitet. Ad expeditionem vero hinc quatuor galearum mutuatarum per nos Illustrissimo domino duci Burgondie omnis assidua diligentia adhibita est, Ita ut infra duos vel tres dies ad longius omnes ipse infallibiliter itineri erunt exposite. Distulimus autem aliquanto dare responsum ad ipsas litteras Vestre Reverendissime Paternitatis circa eam partem, ubi agitur mentio de mittendis aliquibus galeis per flumen Danubii pro reddendo magis facilem transitum exercitus christianorum ultra flumen ipsum cum existimaverimus non esse inutile attenta huiusce rei importantia, in ea

consulte procedere dirrigentes tamen omnes spiritus nostros ad bonam executionem illius sancte impresie desiderantesque quod in honorem omnipotentis Dei, Vestre Reverendissime paternitatis, et illius Serenissimi Regis, totiusque christianitatis, votivum sortiatur effectum, licet cum prefato Reverendissimo domino Cardinali Vicecancellario ante suum hinc discessum contulerimus de re ista, statuimus, tamen sibi mittere exemplum literarum vestrarum prefatarum diei quinti, loquentium de re ista, nec non alias literas, quas postea a Reverendissima Paternitate vestra suscepimus, dirrectivas ipsi domino Cardinali legato. Commemoramusque et hortamur suam Reverendissimam Paternitatem, ut cum erit in strictu Galipolis comunicata re ista cum Capitaneo galearum summi Pontificis cui etiam nos scripsimus opportune mittat pro meliori executione facti utque potentius fiant quecunque fienda sunt, octo vel plures galeas cum illo ordine qui videbitur opportunus que per Danubium seu quo opus erit vadant usque Nicopolim, seu quo opus erit, vadant ad omnem favorem possibilem impendendum, ut exercitus christianorum Danubium transire possit, In quo transitu consistere videmus victoriam illius gloriose impresie, Et hoc dicimus in quantum Reverendissimus dominus Cardinalis Venetus, seu ductores galearum in Danubium iturarum a Vestra Reverendissima dominatione aliud in contrarium non haberent. Et pro bona executione huius negotii, fuimus super hoc, cum Magnifico domino de Wahrin Capitaneo galearum Illustrissimi domini ducis Burgondie, sibique efficaciter persuasimus rem istam qui etiam promptus et paratus erit ad omnia concernentia votivum exitum, et bonam executionem illius sancte impresie. Preterea ad informationem pleniorem Vestre Reverendissime Paternitatis eidem mittimus insertam copiam literarum quas scripsimus prefato Reverendissimo domino Cardinali legato Vicecancellario et Capitaneo Classis super materia antedicta.

De parte 97.
De non 4.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16 c. 103.)

XLIX.

MCCCCXLIIII. die IIII. Iulii.

Reverendissimo domino Cardinali veneto Vicecancellario legato Apostolico.

Reverendissime pater.

Non est incognitum Vestre Reverendissime Paternitati, quanto studio et diligentia, optaverimus, ut galee, nomine Romani pontificis, hic armate, vestreque legationi supposite, hinc cito expedirentur, ut pro votiva executione sancte Impresie, adversus perfidos teucros sumpte strictum Galipolis celeriter occupare possent. Et licet sciamus Reverendissimam Paternitatem Vestram istud non minus appetere, quam nos ipsi, considerantes tamen quantum hactenus comoditatis et temporis pretermissum est, hortamur et rogamus Reverendissimam dominationem vestram, licet id non expedire putemus, ut adhibita solicita opera, in strictum Galipolis, quo celerius sit possibile, se recipiat. Preterea et si ante vestrum hinc discessum contulerimus cum Reverendissimam Paternitatem vestram circa ea que et vobis et nobis pridie scripsit Reverendissimus dominus Cardinalis sancti Angeli legatus super aliquibus galeis mittendis per flumen Danubii ad ferendam opem exercitui christianorum, ut facilius transire possit statuimus tamen propter importantiam facti cum in hoc transitu Danubii consistere videamus victoriam illius sancte impresie, mittere istis implicitum exemplum litterarum quas idem Reverendissimus dominus Cardinalis legatus super hac materia pridie nobis scripsit simul cum aliis litteris quas etiam idem Reverendissimus dominus Legatus Reverendissime Paternitati vestre novissime scribit, quas sumpta confidentia et pro meliori execucione facti aperiri et legi facere non incoveniens esse putavimus. Hortamur igitur Reverendissimam Paternitatem vestram, cui totum relinquimus onus istud ut cum in transitu isto fluminis Danubii, christianorum dependat victoria ideoque omnino necessarium iudicemus accessum in Danubium eiusmodi galearum postquam Reverendissima Paternitas vestra aplicuerit in strictum Galipolis, comunicata hac ma-

teria cum Capitaneo galearum Romani Pontificis mittat cum illo meliori ordine, qui videbitur, octo vel plures galeas illius maritime classis per Danubium usque Nicopolim, seu quo opus erit, ad omnem favorem possibilem impendendum, ut exercitus christianorum transire possit. Et hoc dicimus in quantum Reverendissima Paternitas vestra seu ductores galearum in Danubium iturarum a Reverendissimo domino Cardinale Sancti Angeli legato, aliud in contrarium non haberent. Scripsimus etiam Capitaneo galearum summi Pontificis circa rem istam quantum oportere cognovimus. Contulimus preterea de re ista cum Magnifico domino de Wahrin Capitaneo galearum Illustrissimi domini ducis Burgondie qui promptus erit Vestre Reverendissime Paternitatis in omnibus obedire. Ceterum ad informationem ampliorem Vestre Reverendissime dominationis mittimus eidem istis insertam copiam responsionis quam fecimus Reverendissimo domino Cardinali Sancti Angeli in materia antedicta.

De parte 109.
De non 2.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato Venezia*,
Senato Secreti. reg. 16 c. 108.)

L.

MCCCCXLIIII. die IIII. Iulii.

Ser Aluisio Lauredano procuratori ecclesie Sancti Marci Capitaneo galearum Summi Pontificis.

Post vestrum hinc discessum, accepimus literas a Reverendissimo domino Cardinale Sancti Angeli legato Apostolico quarum copiam, ad vestri informationem mittimus his insertam. Et quoniam sicut videbitis sua Reverendissima dominatio nobis suadet, ut pro bono et felici exitu sumpte impresie contra Teucros, ut christianorum exercitus apud Nicopolim flumen Danubii comodius transire possit mittantur alique galee per flumen predictum ad dandum favorem transitui antedicto, in quo consistit

victoria christianorum, sicut scripsimus Reverendissimo domino Cardinali vicecancellario legato super classe illa, ita vobis etiam declaramus, quod postquam applicueritis in strictum Galipolis habita opportuna collatione cum ipso Reverendissimo domino Cardinale legato, videtur nobis et laudamus quod cum illo ordine qui melior et utilior iudicabitur mittantur octo vel plures ex galeis illius maritime classis per Danubium usque Nicopolim, seu quo opus erit, ad omnem favorem possibilem impendendum ut exercitus christianorum transire possit. Et hoc dicimus in quantum Reverendissimus dominus Cardinalis vicecancellarius legatus seu vos aut ductores galearum in Danubium iturarum a Reverendissimo domino Cardinali Sancti Angeli legato, aliud in contrario non haberent. Copiam autem responsionis per nos facte Reverendissimo domino Cardinale Sancti Angeli, ac copiam eorum, que scribimus Reverendissimo domino Cardinali vicecancellario in materia suprascripta mittimus vobis ad advisamentum presentibus interclusas.

De parte 109.
De non 2.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato Venezia*,
Senato Secreti, reg. 16 c. 108 t.)

LI.

MCCCCXLIIII. die IIII. Iulii.

Iohanni de Reguardatis secretario nostro.

Iohannes. Litere quas a te accepimus ultime quarum sunt diei XV mensis Iunii plenissime nos informarunt de successibus rerum spectantium ad preparationem illius felicis christianorum exercitus, et de aliis in eis descriptis que nobis plurimum placuerunt, et te faciunt apud nos recomissum. Et quia inter cetera dicis sensisse, oratorem Serenissimi domini Regis Aragonum excusantem dominum suum in nos culpam devolvere conatum fuisse, si galeas in favorem illius impresie non misit

anno elapso asserentem non valuisse a nobis habere salvum conductum, volumus et tibi mandamus ut captato tempore cum tibi ad propositum occurret, in colloquiis que cum domino decano et aliis qui tibi videbuntur habebis dicere debeas verum esse quod anno elapso, ipse Serenissimus dominus Rex Aragonum peciit nostrum salvum conductum pro non nullis galeis, de quo profecto admirati fuimus cum eo tempore uti antea et de presenti galee, et naves sue in terris et locis nostris, et nostre in suis, conversate fuerant, conversabantur et conversantur, ut cum bonis amicis et bene videntur atque tractantur et propterea dictum salvum conductum non esse necessarium. Et comprehendentes quod sub hoc pretextu, alia tentare vellent, diximus non esse conveniens, nec honoris partium, ut stante bona amicicia et benivolentia que inter nos viget huiusmodi salvi conductus per alterum nostrum ab altero peterentur, quodque si eas mittere disponebat parati eramus iniungere rectoribus terrarum nostrarum ad quas accessure erant, ut de panatica et aliis necessariis pro pecuniis suis eis providerent illasque bene et amicabiliter pertractarent.

Notavimus insuper ea que prefatus dominus decanus tibi dixit circa factum oratoris suprascripti, et tandem quod veneti esse volebant et quod haberemus Galipolim, et Salonicum, ac de aliis terris Grecie; Quare volumus quod cum ipso domino decano esse debeas, et ei dicere quod informati ex suprascriptis tuis literis de verbis suis predictis cognoscentes ea procedere ex singulari dilectione, et multa eius affectione ad hanc nostram Rempublicam, Ei quanto plus possibile est regratiamur. Et circa factum locorum suprascriptorum dicere debeas quod cognoscimus loca illa, si teucri expellentur de Grecia, egere notabilissima custodia et expensa et potissime maritima quia ipsi teucri semper tota mente et viribus vigilabunt ad rehabendum illa, ut novum valeant suscitare scandalum, et nichilominus non aliqua ambitione dominii sed tantummodo ex multa affectione nostra ad comodum et utile christiane religionis, ad quod toto corde, et mente semper vigilavimus et vigilamus etiam multis nostris expensis et effusione sanguinis nostrorum, ut intentio illius Serenissimi domini Regis plenum sortiatur effectum, et multi la-

bores, ac tam gloriosa et memoranda opera sua non sint in cassum, sed ex eis ille bonus habeatur fructus qui per Maiestatem suam et nos exoptatur, Ad laudem, et reverentiam domini nostri Yesu Christi, et honorem perpetuum sue Serenitatis, ac comodum christianitatis, parati sumus alacri animo dicta loca cum territoriis suis accipere, et favente domino, perpetuo defensare cum teneamus per nos, tam abiliter et secure fieri posse, quam per aliquam aliam christianorum potentiam. Et propterea ipse qui fuit huius rei promotor potest sua multa sapientia, bene prospereque succedentibus rebus ut speramus in divina clementia, huius rei executionem procurare, et bonum dare exitum.

Et in hoc casu quod videlicet res bene ut predicitur succedant et predicta loca acquirantur procura et insta, ut in manibus consignentur viri nobilis Aluisii Lauredano procuratoris capitanei galearum, cum eorum territoriis, ut nostro nomine, illa faciat custodiri, ut ei iam iniunximus.

Scribis insuper, oratorem constantinopolitanum dixisse de galeis que armate sunt per Summum Pontificem et Illustrissimum dominum ducem Burgondie, et de illis, quas dominus suus Imperator habet nulla de nostro dominio facta mentione. Quare volumus, ut apud illos qui tibi videbuntur cum tibi veniet ad propositum dicere debeas, verum esse quod accomodavimus et dedimus Romano Pontifici octo galeas, et Illustrissimo domino duci Burgondie alias quatuor corredis armis et aliis necessariis fulcitas in quibus expendimus circa ducatos XXX^{M.} (*30,000*) Et ille octo quas dedimus Romano Pontifici quamquam sub nomine Beatitudinis sue armate sint, tamen certissimum est, quod non de pecuniis Sanctitatis sue sed de denariis decime quorum parva pars exacta fuit a Clero Magnifice Comunitatis Florentie et residuum, a Clero nostro armate fuerunt. Et preterea omnes ipse XII galee de hominibus nostris armate sunt, ita quod quamquam aliorum esse dicantur nostre possunt appellari. Et nichilominus deliberavimus, ultra hoc alias sex in octo galeas mittere sub nostro nomine et cum nostris propriis banderiis. Et preterea si sine multo periculo navigiorum respectu piraticam

exercentium in hoc Culfo videbimus mittere posse mittemus capitaneum nostrum Culfi cum reliquis galeis secum restantibus ut votive et melius res succedere valeant.

Intelleximus etiam dubia que dicuntur de transitu Danubii illius felicis exercitus tibi denotamus quod in ea materia providimus et scripsimus ut videbis per inclusas copias, ita quod in quantum in nobis est omnes illas fecimus provisiones, que nobis opportune vise sunt.

De predictis autem omnibus volumus ut conferras cum Reverendissimo domino Cardinale Sancti Angeli et specialiter de locis maritimis, et subiungas, quod singulari cum fide omnia nostra sua cum Reverendissima paternitate comunicamus, quoniam clarissime cognoscimus multam affectionem, et amorem quem gerit nostre Reipublice, que nos obligant ad ea que comoda sint sue Reverendissime paternitati, quodque aperte intelligimus verba suprascripti domini decani de locis suprascriptis nobis dandis a sua processisse Reverendissima paternitate, et de predictis fuerit primus promotor, quodque nos tum ob Dei reverentiam tum etiam pro honore nostro, haberemus gratissimum, illa habere non obstante, quod re vera cognoscamus defensionem et conservationem eorum magnam requirere expensam et propterea eius Reverendissimam paternitatem rogamus, ut occurrente casu quo ea loca habeantur, ei placeat, per illos modos, qui eius multe sapientie videantur providere quod dicta loca cum territoriis suis assignentur nostro nomine viro nobili Aluisio Lauredano procuratori capitaneo suprascripto. Et in predictis sequi debeas opinione sue Reverendissime paternitatis, et facere ut tibi dicet. [Et ultra Galipolim et Salonicum cum territoriis suis, procura, quod habeamus Marognam et Panidum que super mari sita sunt, cum aliis locis maritimis illarum partium].

Ceterum ut denarios habeas et fulcire te valeas necessariis et stare in exercitu ut tibi mandavimus tibi mittimus per cambium ducatos IIII$^{c.}$ (*400*) et litere his incluse erunt. Et preterea iussimus Baiulo nostro Constantinopolis, ut ad omnem tuam requisitionem, tibi subvenire debeat de ducatis II$^{c.}$ (*200*)

quos prosperante exercitu, ut speramus in divina clementia, ad beneplacitum tuum habebis.

Demum volumus et tibi mandamus ut caute et secrete, per illos modos qui tibi videantur, cures te informare de his que magis grata essent dicto domino decano videlicet de aliqua pecia panni aut de argenteriis vel aliis rebus et subito nos advisa.

De parte 27 — 23.

Ser Andreas Mauroceno
Ser Zacharias Bembo
Ser Marcus Foscari procurator Sapientes Consilii
Ser Nicolaus Memo
Ser Nicolaus da Molino
Ser Leonardus Venerio Sapientes terre firme Volunt literas suprascriptas scribendas per totum, exceptis verbis notatis inter duo [ ] de Marogna et Panido loquentibus.

De parte 54 — 65.
De non 23.
Non sinceri 8 — 22.

(*Archivio di Stato Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16 c. 104.)

LII.

MCCCCXLIIII. die IIII. Iulii.

Ser Franciscus Lauredano
Ser Andreas Mauroceno
Ser Zacharia Bembo
Ser Marcus Foscari procurator, Sapientes Consilii
et Sapientes Terre Firme.

Cum faciat pro republica christiana et specialiter pro nostro dominio dare omnes possibiles favores sumpte impresie contra teucros ut non solum custodiatur strictus Galipolis sed etiam faveatur felici christianorum exercitui, ut Danubium va-

leat pertransire, quoniam nisi res votive succedant, clarissimum est quod nos principaliter sustinebimus onus et pondus huius rei, vadit pars quod scribatur Capitaneo nostro Culfi in hac forma videlicet.

Per alias literas nostras diebus preteritis vobis iniunximus ut mittere deberetis unam ex galeis nostris hic armatis vobiscum existentibus, cum viro nobile Ludovico Lauredano procuratore ecclesie sancti Marci Capitaneo galearum armatarum nomine summi Pontificis ut sub eius esset obbedientia, una cum galeis Nigropontis et Neapolis Romanie ac galeotis Egeopelagi; Nunc volumus et vobis mandamus cum nostro consilio Rogatorum quatenus recepto presenti nostro mandato, bene in ordine ponere debeatis galeam de Venetiis vobiscum restantem et unam ex galeis de Creta vobiscum existentibus, et supracomitis illarum iniungere, ut ire debeant omni cum diligentia eis possibili ad repperiendum suprascriptum Ser Ludovicum Lauredano qui ut scire debetis in strictum Galipolis accessit, et ad ipsius Ser Ludovici esse et stare obedientiam, vobis denotantes quod iussimus Regimini Corphoy ut ipsis duabus galeis det subventionem et tantam panaticam quantam levare poterunt, et propterea eis iniungite ut de ea levare studeant quantum possibile eis sit, et in Nigroponte de alia accipiant pro quantitate quam usque ad eum locum consumpserunt.

De parte 88.

Sapientes omnes ultrascripti.

Vos vero cum reliquis galeis vobis restantibus vos reducere debeatis per loca nostra Dalmatie usque Iadram, et quia in partibus Marchie repperiuntur alique galleote catellanorum que damnificant navigantes per illas aquas, et specialiter euntes Firmum et se reducunt in portum Pensauri, volumus ut interdum de Iadra vos debeatis conferre Anchonam et dare vobis operam persentiendi de dictis galeotis et per illos modos qui vobis videbuntur cum securitate esse galearum vobis commissarum, attendere ad earum persecutionem non transeundo tamen flumen Tronti, et in Culfo nostro vos nutrire, attendendo ad bonam se-

curitatem navigiorum et locorum nostrorum, et persecutionem quorumcunque derobantium, donec aliud vobis mandabimus.

De parte 108.
De non 1.
Non sinceri 1.

Ser Antonius Diedo Consiliarius Vult circa primum capitulum suprascriptum quod Capitaneus Culfi cum sua galea, et una ex galeis Crete, ire debeat ad repperiendum virum nobilem Ser Ludovicum Lauredano procuratorem Capitaneum galearum summi Pontificis et supracomitus galee de Venetiis restantis, remaneat vicecapitaneus Culfi cum una galea Candide restante et galeis de Corphoy.

De parte 35.
De non 1.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato Venezia,*
Senato Secreti, reg. 16 c. 104 t.)

LIII.

MCCCCXLIIII. die IIII. Iulii.

Quoniam omnino necessarium est prestissime providere de pecuniis Secretario nostro, qui iturus est de nostro mandato cum exercitu christianorum adversus Teucros, et nisi istud citissime fiat, certum est quod discedente exercitu de partibus hungarie ire non poterit, Vadit pars, Quod pars pridie capta de illis duabus dimidiis pro centenario quarum solutiones stricte fuerunt, reformetur in tantum, quod de pecuniis ipsarum impositionum accipi possint ducatos quadringenti, qui per viam cambii, aut aliter mittantur illico ad Secretarium nostrum predictum ut exequi valeat nostra mandata.

De parte 91.
De non 15.
Non sinceri 2.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Senato Mar. reg°. 2 carte 17.)

LIV.

MCCCCXLIIII. die VII. Iulii.

Cum Magnificus dominus de Wahrin Capitaneus galearum hic armatarum nomine Incliti domini ducis Burgondie hinc recesserit, feceritque nos instanter rogari, ut mandetur supracomitis galearum sibi commissarum, quod celeriter eum sequantur, et sit honor ac debitum nostri dominii providere per modum quod supracomiti ipsarum galearum hic restantium discedant, et hic non differant, sicut nisi provideatur, tenendum est, quod facient, Vadit pars quod due ex galeis predictis teneantur recessisse per totam hanc noctem de Veneciis pro eundo ad viagium suum, sub pena ducatorum mille cuilibet supracomito ipsarum galearum, exigenda per Advocatores nostri comunis. Ultima vero galea teneatur recessisse in crastinum ad meridiem sub pena predicta.

De parte	115.
De non	2.
Non sinceri	0.

Die predicto.

Nos Franciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum etc. Committimus vobis Nobilibus viris Petro Georgio, Ieronimo Mauroceno, Antonio Lauredano et Andree Contareno dilectis civibus nostris, Quod in nomine Iesu Christi, et in bona gratia, et victoria vadatis supracomiti presentium quatuor galearum, nomine Incliti domini Ducis Burgondie hic armatarum, utque intelligatis mentem nostram, declaramus Vobis, quod nostre intentionis est, et volumus, quod sitis ad obedientiam Magnifici domini de Wahrin capitanei dictarum galearum, gerendo vos secum reverenter, affectuose, et humane, sicut in prudentia vestra confidimus, et sicut erga personam nostram propriam faceretis.

Commemoramus tamen vobis, quod si forte in accessu vestro, obviaretis alicui armate, aut navigiis Sultani, seu subditorum suorum, nostre intentionis est, quod eis modo aliquo non fiat novitas, sub pena cuilibet Vestrum ammittendi capita, immo

volumus, quod a tali armata seu navigiis, vos longiquetis ut tollatur omnis materia novitatis. Et si forte prefatus Magnificus Capitaneus, quod tamen non credimus, propter promissionem quam nobis fecit, aliter sentiret, aut vellet, volumus, quod sub pena predicta, hoc nostrum mandatum inviolabiliter observetis.

Mandamus insuper vobis, quod nullo modo Rhodum vos conferatis sub dicta pena ammittendi capita, et si forte aliter videretur prelibato Magnifico Capitaneo, quod tamen non est tenendum, propter promissionem quam nobis fecit, volumus similiter, quod ei non obediatis sub pena predicta.

Quando autem, deo dante, eritis in strictu Galipolis, si forte contingeret, quod aliqua armata, fuste, aut alia navigia Sultani in strictum ipsum se conferrent, pro dando favorem Teucris, in hoc casu volumus et mandamus vobis, quod si per Reverendum dominum Cardinalem legatum, ac per virum Nobilem Aluisium Lauredano procuratorem Capitaneum, deliberaretur aliquid agere contra predictas galeas sive navigia Sultani, obedire debeatis prefato Magnifico Capitaneo Vestro, et aliter non.

Volumus preterea, quod servata opportuna modestia et prudentia cum prefato Magnifico Capitaneo, illis bonis et pertinentibus modis qui vobis videbuntur, solicitetis accessum vestrum in strictum, quo festinantius esse poterit, sicut summe necessarium esse cognoscimus. Commemoramus etiam et mandamus vobis, quod tam in locis ad que capitabitis, in hoc accessu vestro, quam etiam navigiis cuiuslibet nationis, caveatis inferre aut inferri permittere damna aliqua, pro quanto nostram graciam caripenditis.

De parte 115.
De non 2.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 105 t°.)



LV.

MCCCCXLIIII. die IIII. Augusti[1]).

Nos Wladislaus Dei gratia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie etc. Rex Lythwanieque princeps supremus et heres *Russie*[2]). Ad Universorum notitiam. Dudum in *congregatione*[3]) generali prelatorum et baronum ac nobilium huius regni nostri Hungarie, Bude novissime celebrata, pro honore omnipotentis

[1]) Przeważny ten dokument jest nam od dawna znany, — ale niestety w pełnéj błędów i mocno uszczerbionej osnowie. Podał go nam pierwszy Długosz, i z niego dopiero spółcześni kronikarze dosłownie przepisali, a późniejsi dziejopisowie nad nim się rozpisywali, błędne oczywiście wnioski z błędnego snując textu. Nie obwiniamy o to Długosza, — stał się on sam ofiarą nieuwagi pierwotnego przepisywacza, który z powodu dwojga po sobie powtarzających się wyrazów („Imp. Turc.") cały miedzy niemi zawarty ustęp przeskoczył, — w skutek czego ta część dokumentu, w któréj tkwił właśnie sam klucz sytuacyi, stała się nierozdzierzgłą matnią. Ówczesna zaś krytyka nie była jeszcze dość biegłą, aby rozróżnić to, co, choćby z biedą, na karb zepsutéj średniowiecznéj łaciny położyćby się dało, od tego, co, przypuszczalną licencyą przekroczywszy, koniecznego wyśledzenia skazy albo luki wymagało. Raczéj dziwić się można, że późniejsza krytyka o to się nie pokusiła, a to jéj własne zaniedbanie najbardziéj uniewinnia Długosza. Zachowany przeto w weneckim Zbiorze Commemoriali ówczesny odpis jest drogocennym dla dziejów naszych i świata zabytkiem, a dla przyszłego dziejopisarstwa nieoszacowanym stać się może nabytkiem, — bo przyczyni się więcéj niż którekolwiek kronikarskie podania lub dotychczasowe wywody do rozwiązania spornéj od dawna kwestyi, i do uzgodnienia sprzecznych na pozór między sobą tradycyi; — a w otoczeniu kilkudziesięciu jeszcze mniéj lub wcale nieznanych dokumentów rzuci niemało światła na ten, smutny wprawdzie i spóźniony, ale większego niż dotąd w dziejach świata godzien uznania, epilog wojen krzyżowych.

Warianty wszelkie i opuszczony ustęp drukujemy tu *cursive*, — zachowując zresztą, jak we wszystkich weneckich dokumentach, średniowieczną pisownią.

[2]) Tego wyrazu niema w texcie łacińskim wydania krakowskiego, ale oczywiście tylko przez pomyłkę druku, — znajduje się on bowiem w texcie polskim tegoż wydania, jak niemniéj w wydaniu lipskiem.

[3]) in conventione Ed. Lips. et Crac.

Dei ac pro defensione et augmento fidei christiane et pro bono totius ecclesie catholice presertim pro liberatione huius regni nostri et partium circumstantium, quas ipsi Turci multis retroactis annis attrocissime persecuti sunt, et de presenti persequi non cessant, *decrevimus, firmavimus* et *stabilivimus*[1]) unanimi voluntate et consensu totius predicte conventionis, Ire personaliter et nobiscum ducere ista estate seu anno *potentem*[2]) exercitum versus partes Grecie et Romanie et cum Dei adiutorio totis viribus nostris laborare ad exterminium impiorum Turcorum. Idque pro maiori rei firmitate iuravimus in manibus Reverendissimi in Christo patris domini Iuliani Cardinalis sancti Angeli Apostolice sedis legati executioni demandare ad consolationemque totius christianitatis hanc nostram *piam*[3]) intentionem ac deliberationem nostris litteris manu nostra subscriptis. Significamus Sanctissimo in Christo patri et domino, domino nostro Eugenio Papa (*sic*) quarto et Serenissimis Regibus ac principibus christianitatis[4]), propter quod nemo quoquomodo cogitare *deberet*[5]) quin nos tam sanctam et solemnem deliberationem iuratam et ubique publicatam velimus et omnino disponamus, Deo propiciante, ad executionem et optatum finem deducere. Nihilominus quia nonnulli propter adventum oratorum Amorati Imperatoris Turcorum *ad nostram presentiam, qui a nobis treuguas ad certum tempus cum dicto Amorato Imperatore Turcorum*[6]) fieri *postularunt*[7]) adhuc dubitare videntur An predictam

---

[1]) decernimus, firmamus et stabilimus. Ed. Lips. et Crac.

[2]) praesentem. Ed. Lips. et Crac. — Katona w swojéj Historia Critica Tom XIII p. 826 wymazał *m* w „praesentem" i odniósł „praesente" do „anno." Tak sobie zwykła pomagać hyperkrytyka.

[3]) puram Ed. Lips. et Crac.

[4]) Christianis, Ed. Lips.

[5]) debet Ed. Lips. et Crac.

[6]) Tych piętnastu wyrazów opuszczonych czyli raczéj przeskoczonych przez nieuwagę pierwotnego przepisywacza niema ani u Długosza ani u Katony i t. d.

[7]) postulatum Ed. Lips. Wydanie krakowskie ma wprawdzie „*postularunt*", ale przez tę restytucyą jednego wyrazu bez wszystkich poprzedzających ustęp cały stał się syntaktycznie jeszcze wadliwszym niż w błędnéj poprawce wydania lipskiego.

deliberationem Bude factam ac iuratam exequi velimus, Idcirco ad tollendum de animis quorumcumque hominum omnem dubitationem seu suspitionem, aut ambiguitatis scrupulum, et presertim, ut Reverendissimi in Christo patres et domini, domini Franciscus *Venetus*[1]) ac Vicecancellarius et predictus dominus Iulianus Summus penitentiarius sancte Romane eccclesie Cardinales et Apostolice sedis legati nec non Magnifici Capitanei galearum tam Illustrissimi domini ducis Burgondie quam Illustrissimi domin*ii*[2]) Venetiarum per amplius de sinceritate et integritate nostre mentis ac firmitate nostri propositi ac observatione prescripte nostre deliberationis et promissionis certificentur et assecurentur, de cons*ilio*[3]) et assensu nostrorum prelatorum et baronum apud nos existentium, tam eorum qui nobiscum ad exercitum venire debent, quam illorum[4]) qui in regno *nostro*[5]) remanent in verbo regio et honore nostro ac sub fide christiana in qua *sacrum*[6]) baptisma recepimus et vitam consequi speramus *eternam*[7]), super hec sacra Dei Evangelia coram prefato domino Cardinale sancti Angeli legato, et prefatis prelatis ac baronibus spondemus et pollicemur iuramusque et votum facimus sancte Trinitati patri et filio et spiritui sancto et gloriosissime Virgini Marie Dei genetrici ac omnibus angelis et sanctis Dei et presertim beatis Regibus Stephano et Ladislao, patronis huius regni nostri, predictam deliberationem[8]) et promissionem Bude factam executioni[9]) effectualiter demandare et infra primam diem Septembris proxime sequentis esse cum nostro exercitu

---

[1]) Venetiarum Ed. Crac. Venetus Ed. Lips.

[2]) Domini Ed. Lips. et Crac.

[3]) consensu Ed. Lips. et Crac.

[4]) eorum Ed. Lips. illorum w Krak.

[5]) Tego zaimka niema w edycyi krakowskiéj, — ale jest w lipskiéj.

[6]) Sanctissimum Ed. Lips. Sanctum Ed. Crac.

[7]) Tego przymiotnika niema w edycyi lipskiéj, — ale jest w krakowskiéj.

[8]) *nostram* dodaje tu edycya lipska, czego ani w krakowskiéj, ani w naszym dokumencie niema.

[9]) Tego wyrazu nie ma w wydaniu lipskiem, — ale jest w krakowskiem.

chiarando in ogni caso al predicto miser lo gardenal chel proveda de tempo in tempo ai homeni dele suo galie de danari, et altre necessita soe, Et se per el prefato Reverendissimo miser lo cardenal, Capetanio de Borgogna, e Vui, se deliberasse de mandar a desarmar parte dele galie, procure, tuta fiada, romagnando vui, in numero de quelle, de tegnir de quelle che nui paghemo, men ve è possibele, Et perche in questa caxon che e grandissima, e non de pocha importancia al stado nostro, el po seguir, o esser seguide assaissime cosse, oltra le recordade de sopra, ne le qual nui non possemo ne podemo compidamente darve ordene, fidandose de la fede e providencia vostra, ve demo liberta in tuti i casi de proveder como a vui parera per ben del stado nostro.

Et sia scripto al regimento nostro de Candia, e Negroponte che de biscoti, et altre cosse necessarie debi proveder cum ogni solicitudine de sovegnir ale galie predicte, et al Capetanio che faza de haver el valor de quello tolesse el Reverendissimo gardenal, e le galie de Borgogna e Ragusi e daltrove. Ai qual regimenti eciamdio sia scripto, che oltra le ditte cosse, faza tuto el poder de mandar quella piu summa de danari i sera possibele, toiando quelli si de la colta, come de ogni altro luogo spectante a nui.

De parte 23.
De non 17.
Non sinceri 7 — 9.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 129 t°.)



LX.

MCCCCXLIIII. die XXIII. Novembris.

Quod Egregio magistro Tadeo de Tarvisio, qui rediit Orator summi Pontificis a presentia Serenissimi Domini Hungarie et Polonie Regis, et venit per viam Bude, et uti relatum fuit huic consilio per Serenissimum dominum Ducem pro parte prefati Serenissimi domini Regis, et quatuor principalium Baronum Hun-

garie regentium ad presens illud regnum, multa cum instantia exorat, ut provideamus, quod galee, tam nostre, quam armate per summum Pontificem, perseverent in strictu contra Teucros, facta responsione ad verba generalia, que dixit pro parte prefati Serenissimi domini Regis, cum illis humanis et benivolis verbis, que convenientia videantur. Ad factum galearum dicatur:

Quod tum ob Dei reverentiam, et bonum, ac comodum christiane religionis, tum etiam contemplatione, et amore, quem gerimus, ad Serenissimum dominum Regem Hungarie et Polonie, et ad barones Hungarie, fuimus ferventissimi, non solum conplacere summo Pontifici, ut hic armaret, sed etiam mittere de galeis, que nostris expensis armate sunt, et in predictis notabilem fecimus expensam, Nam summus Pontifex, solum pro galeis nomine suo armatis pecuniam stipendii exbursavit, quam pro maiori parte de decima Cleri terrarum nostrarum, recuperavit, et nos galeas preparavimus, et omnes alias expensas fecimus de pecuniis nostris propriis, et iam multis diebus cognoscentes rei importantiam, ac considerantes quod propter intensa frigora, regnantia in strictu, et multas necessitates occurrentes, necessarium esset, ut per summum Pontificem de pecuniis provideretur, scripsimus per duplicatas literas, et instantissime supplicavimus summo Pontifici, ut dignaretur de pecuniis pro subventione galearum, nomine suo armatarum, opportunam provisionem facere. Nam pro nostris providimus. Et ita rogamus ipsum magistrum Tadeum, ut cum erit ad pedes apostolicos, instantissime supplicet prefato Romano Pontifice, ut dignetur, sine temporis dilatione, opportunam provisionem facere, Nam si opportune providebit, nos omnia possibilia faciemus, quod impresia sumpta manuteneatur, et fiant ea que ad comodum christianorum redundent, et circa hoc utantur illis verbis, que ad propositum cedere videbuntur.

De parte omnes.
De non 0.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia,*
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 131.)



LXI.

MCCCCXLIIII. die XVII. Ianuarii (more veneto).

Inclito Domino Despoto Rassie.

Ad noticiam nostram diversis modis deductum est, Vestram Inclitam Magnificentiam terras et loca sua recuperasse, et in dominio suo restitutam esse, de quo profecto ex singulari et antiquissima affectione nostra ad vestram Excellentiam ingentem animi consolationem accepimus, cum omnem bonum statum, honores et comoda vestra, propria reputemus. Preterea sicut nuperime intelleximus a Rectore nostro Scutari, videtur, certas innovationes in genta superiori nomine Vestre Excellentie, nuper esse secutas, de quibus certe, considerato quantum affecti sumus incliti persone vestre, et quam fraterne ipsam diligamus, in aliquam admirationem inducti sumus, considerantes precipue, quod si de manibus Comitis Stefani Vaivode publici hostis Vestre Inclite Magnificentie, et nostri, in guerra, quam secum habuimus, et habemus, aliquid sibi accepimus, quod vestrum fuerit, existimamus ex hoc, rem gratam et acceptam fecisse Excellentie Vestre, nec certe propterea opus erat ad aliquam innovationem procedi, quoniam si Inclita Vestra Magnificentia, sicut nostre benivolentie convenit, misisset ad nos, fuissemus semper bene dispositi ad convenientia et honesta. Statuimus itaque in premissis, mentem nostram Vestre Excellentie declarare, rogantes eandem amicabiliter et fraterne, ut providere placeat, quod novitates predicte tollantur in totum, sicut mutue benivolentie nostre convenit. Et si Vestra inclita Magnificentia ad nos miserit, inveniet nos, ut prediximus, semper promptos ad convenientia et honesta.

De parte	alii.
De non	3.
Non sinceri	9.

(*Archivio di Stato in Venezia*,
Deliberazioni Senato Secreti, reg°. 16 c. 139 t°.)

LXII.

MCCCCXLIIII. die XV. Februarii (more veneto).

Ser Andree Donato militi Oratori nostro ad Summum Pontificem.

Per literas nostras datas VI. instantis et replicatas die VIII. intelligere potuistis quam moleste ferebamus de nobis obloqui pro successu rerum Christianorum et Teucrorum. Nam videbatur nobis iustissime nos condolere posse cum sicuti laudem, respectu damni nostrorum civium et subditorum ultra experientiam passam et periculum nostrorum locorum reportare sperabamus, ita infamiam propter omnem iusticiam et equitatem patiebamur. Ex postea vero literas vestras accepimus datas ultimo Ianuarii quibus nobis declarastis facta per vos instantia, ut per Summum Pontificem de pecuniis provideretur tam pro refusura galee maure, que necessitate coacta in patriam redierat, quam pro subventione reliquarum. Sua Beatitudo dixerat nolle providere, nisi prius clarius rerum successum intelligeret, et subiungitis Sanctitatem Suam sensisse defectu galearum nostrarum secutum malum procesisse, cum ei relatum fuerit, capitaneum pro victualibus XXV diebus stetisse inter Tenedum et Constantinopolim, quibus intellectis longe maiorem displicentiam et dolorem sensimus, quam per antea scripsissemus. Nam cum in mente nostra revolvimus quanta pro christiana religione, hec nostra respublica continue fecit quotiensque statum, propriasque civium nostrorum facultates et personas exposuimus ac quanta cum sinceritate processeramus, profecto firmissima nobis spes erat, nedum neminem posse de nobis vel nostris qui continue fidelissime se exercuerunt, habere suspicionem, sed etiam, non minus quam rectè loqui, nisi oculate videretur et palparetur oppositum. Et tanto maiori in hoc afficiemur dolore, quanto videmus ultra experientias preteritorum, etiam nunc nostros suum debitum plenarie fecisse. Est quippe certissimum nostros cives et subditos, qui super galeis illis erant, tantis cum incomodis in illo strictu stetisse, quanto unquam alique

alie gentes in aliquo steterint loco. Passe sunt etenim zurme ille famem acerbissimam, cum panem tantummodo habere non valuerint ad sufficentiam nec aquam unquam dulcem sumere potuerint, nisi multa cum sanguinis effusione, ac multorum cede et interdum ob multitudinem eam custodientiam ex ipsa aqua dulce accipere non valentes, cum aqua salsa panem commedere coacti fuerunt, passe sunt insuper frigora intensa et incredibilia et consuetum, in illis partibus regnare est quemadmodum est notorium. Ex quo multi pedes et alia membra amiserunt et aliter debilitati remanserunt, quotidieque cum inimicis decertarunt et tum ferro tum etiam ob incomoda predicta quam plures decesserunt, eorum relictis filiis et familiis in maxima miseria que dictim ad nos recurrunt petentes de labore suorum defunctorum, tanto cum sudore acquisito subvenire. Et tot sunt eorum lacrime, vocesque miserabiles, ut nemo sit eas audiens, qui ad maximam non deducatur compassionem, defuncti sunt insuper de nobilibus nostris supracomitis et alii infirmati. Hec autem clarius videbitis per copiam literarum capitanei galearum predictarum his inclusam, que particularius res declarant [1]). Sed ultra hec vidit Summus Pontifex suprascriptus, quid diebus preteritis scripserit Imperator Constantinopolitanus, qui prope res est et intelligit illas. Et quia fertur duas fuisse cum victualibus naves, alteram penes Constantinopolim videlicet, et alteram penes Tenedum, dicimus quod quando etiam sic fuisset, non tamen hoc armatam saturasset et queque alia potest homo, preter quam longam famem sufferre. Et si galee Tenedum aliquando venissent aut Constantinopolim accessissent pro pane, non tamen semper in earum arbitrio erat redire cum vellent, cum non semper mare tranquillum sit nec venti propicii. Concludimus igitur, nostros debitum fecisse, et laudem promereri. Quare de predictis alloqui debeatis in illa forma, que prudentie vestre videatur Summo Pontifici et instare, ac procurare, et

---

1) Tych listów, tak pożądanych dla historyi jako od naocznego i współdziałającego świadka pochodzących, niepodobna było mimo starannych poszukiwań ani w Commemoriale, ani też w innych zbiorach weneckiego Archiwum dośledzić. Możeby znalazły się w Rzymie? — Urzędowe ich jednak streszczenie podaje niniejsza depesza.

supplicare ut Sanctitas Sua tam pro dicta galea, que venit, quam pro illis que remanserunt, opportunam et citissimam faciat provisionem. Sic etenim debitum et honestas, sicque honor Beatitudinis Sue expostulat. Et si debitum his pauperimis zurmis fiet, ultra quod sit iustum et conveniens, hoc etiam sequetur, quod ad mille pericula et cedem etiam se viriliter et animose exponent, Alioquin vero videre nescimus quod amplius in partibus illis tenere valeant, et nescimus qui amplius unquam ei servire vellent. Et cum his et aliis verbis que vobis utilia videbuntur, omnia possibilia faciatis pro obtinendo intentionem nostram suprascriptam.

In dictis autem literis vestris nobis etiam declarastis quatuor partita per Reverendissimos dominos Cardinales praticationes nomine Summi Pontifici proposita, videlicet primo, quod liga videlicet Magnifica Comunitas Florentie et nos solveret equites IIII^M. qui semper parati essent ad mandata et opportunitates Summi Pontificis, et aliquo casu durante liga ammoveri non possent, et haberent stipendium quod habet comes Francie, aut quod comes Francie predictus cum IIII^M. equitibus lige, de partibus illis nunquam levaretur, aut quod per dictam Magnificam Comunitatem Florentie et nos mitterentur ad partes illas equites IIII^M. Sive quod fieret una liga generalis ad defensionem statuum et potentiis Italie, in qua essent, Sua Sanctitas, Serenissimus dominus Rex Aragonum, dominus dux Mediolani, nec non Magnifica Comunitas Florentie, et nos. Quibus intellectis volumus et vobis mandamus, ut collato circa hoc cum Spectabili Oratore Florentino, et eo in hoc concurrente, dictis Reverendissimis dominis Cardinalibus respondere debeatis, quod vestrum quilibet suo dominio scripsit ea que Sue Reverendissime Paternitati proposuerunt, quodque ipsa dominia respondent profecto esse certissima, B. Summi Pontificis se sincere movere ad finem quietis et conservationis nedum status ecclesie et predictorum duorum dominiorum sed etiam totius Italie, sed considerarunt super predictis quatuor partitis, et quantum ad prima tria dicunt reverenter loquendo, quod eis videtur iustum et conveniens esse, ut res equales esse debeant, et omnia ad comunem utilitatem et comodum et non magis

unius quam alterius fieri debeant, et propterea necessarium esse, ut unaqueque pars teneat gentes, quas tenere obligatur, et si una offenderetur, relique bona fide et realiter, cum gentibus obligatis ei succurrere teneantur et econverso, nam neutra dictarum partium potest se taliter reputare securam, quod possit dicere gentes stare debere in locis unius tantum et inde non moveri, sed necessarie est, ut cum gentibus predictis de tempore in tempus secundum rerum exigentiam, ut boni confederati ad invicem se succurrant.

Ad quartum vero de liga generali dicunt dominia vestra, quod tota mente pacifice vivere exoptant, et adeo pacis zelatores dicta Magnifica Comunitas Florentie et nos sumus, quod omnia evitare conamur que aliis valeant esse molesta. Et tam cum Serenissimo domino Rege Aragonum quam cum Serenissimo domino Rege Renato bonam tenemus amiciciam et benevolentiam. Et intelligunt omnes qualiter res successissent si de factis Regni voluissemus nos impedire. Sed contentamur stare in terminis nostris et cum omnibus amicabiliter vivere, ut a natura facere datum est comunitatibus. Et cum consideramus Beatitudinem Suam dedisse Confaloneriatum Illustrissimo domino Delfino ac quod Serenissimus dominus Rex Renatus, et ipse Delfinus venturi sunt in Italiam, videre nescimus et propterea libenter intelligeremus qualiter huiusmodi liga generalis fieri possit sine gravedine et indignatione mentis predictorum Serenissimi domini Regis Renati, et Illustrissimi domini Delfini, Nam ad inimiciciam alicuius, si possibile est devenire non intendimus et de responsione quam facient, nos vestris literis advisare debeatis.

De parte 51.

Ser Paulus Truno procurator, Ser Andrea Mauroceno Sapientes Consilii et Sapientes terre firme

Volunt quod scribatur Ser Andree Donato Oratori in Romana Curia in iustificationem tantum facti nostri de galeis in forma lecta huic consilio, sed de partitis propositis nihil scribatur usquequo habeantur alie litere a dicto Ser Andrea, qui-

bus habitis, venietur ad istud consilium, et fiet illa responsio que opportuna et conveniens videbitur [1]).

De parte 60.
De non 2.
Non sinceri 1.

(*Venezia Archivio di Stato*,
Senato Secreti, reg. 16 c. 146 t°.)

[1]) Tę drugą, odroczoną połowę niniejszéj uchwały bylibyśmy i my tu opuścili jako bezpośrednio dzieje nasze mniéj obchodzącą, gdyby nie wzgląd na światło, jakie rzuca na ówczesną politykę Rzeczypospolitéj weneckiéj. Woleliśmy przeto nie uszczerbiać niniejszego dokumentu, a natomiast opuścić niektóre inne, zawierające tylko powtórzenia albo też amplifikacye poprzednich.



FONTES
RERUM POLONICARUM

E TABULARIO REIPUBLICAE VENETAE

EXHAUSIT, COLLEGIT, EDIDIT,

NONNULLISQUE ADNOTATIONIBUS POLONICIS MUNIIT

Dr. AUGUSTUS Comes CIESZKOWSKI

ACADEMIAE REGIAE CRACOVIENSIS etc SOCIUS,
SOCIETATIS LITTERARIAE POSNANIENSIS PRAESES.



SERIES I^a. FASCICULUS TERTIUS.

(ACTA CASIMIRO JAGELLONIDE REGNANTE.)



POSNANIAE.
TYPIS OFFICINAE DZIENNIK POZNAŃSKI.
1891.

FONTES

RERUM POLONICARUM

E TABULARIO REIPUBLICAE VENETAE

EXHAUSIT, COLLEGIT, EDIDIT,

NONNULLISQUE ADNOTATIONIBUS POLONICIS MUNIIT

Dr. AUGUSTUS Comes CIESZKOWSKI

ACADEMIAE REGIAE CRACOVIENSIS etc. SOCIUS,
SOCIETATIS LITTERARIAE POSNANIENSIS PRAESES.



SERIES I^a. FASCICULUS TERTIUS.

(ACTA CASIMIRO JAGELLONIDE REGNANTE.)



POSNANIAE.
TYPIS OFFICINAE DZIENNIK POZNAŃSKI.
1891.

Z CZASÓW KAŹMIERZA JAGIELLOŃCZYKA.

LXIII.

MCCCCLXIII. die XVII. Martii.

Serenissimo domino Regi Polonie.

Regressus ex Gallia Spectabilis eques dominus Antonius de Grationopoli Maiestatis vestre legatus litteras Serenissimi domini Regis Franchorum nobis detulit, quibus intelleximus ardentissimum et christianissimum eius desiderium una cum Regia Serenitate Vestra ac Serenissimis Regibus Hungarie et Bohemie duceque Bavarie procedendi terrestri manu ad exterminium sevissimi crucis hostis. Quam rem profecto gratissimam ac iocundissimam ultra quam possemus exprimere habuimus. Quippe qui pro gloria Summi Creatoris nostri proque honore christiane Religionis nihil magis cupimus nihilque magis necessarium esse cognoscimus, quam hunc atrocissimum persecutorem nominis christiani propulsari posse. Nos vero Serenissime princeps maiorum nostrorum vestigia imitari volentes, sicut novissime scripsimus christianissimo Franchorum Regi, ita et his nostris Maiestati V. significare instituimus: nos inquam paratos ac promptos esse dispositis rebus exercitibusque terrestribus per Serenitatem vestram perque alios Excellentissimos principes anteactos contra perfidum hostem cum potenti classe nostra nihil omnino ommittere, quod in eius excidium fieri possit. Quamobrem vehementer hortamur ac precibus, quibus possumus, Maiestatem Vestram ex corde rogamus ut festinet perficere piissimum opus inceptum, ut iam tandem sancta hec

expeditio celebrari possit. Interea vero laudamus quam maxime, ut vestra Sublimitas per legatum suum quamprimum mittendum ad Serenissimum Hungarie Regem exhortari eum velit ut magno et forti animo se regnumque suum tueri studeat, pro qua sola causa nos quoque quamprimum Oratorem nostrum ad ipsum Serenissimum regem expedituri sumus.

De parte 166.
De non 4.
Non sinceri 1.

(Deliberazioni Senato Secreti, Vol. XXI, pag. 145).

LXIV.

Sine data.

(Lettera di Papa Paolo II a Casimiro IV Re di Polonia).

Archiepiscopo Magdeburgensi.

Venerabilis frater salutem etc. Pervenit ad aures nostras esse nonnullos in partibus Germanie, qui per duos fere iam annos publicarunt et continue publicant literas Indulgentiarum sub nomine Sancti Spiritus et Sedis Apostolice, que vel sunt revocate vel de falsitate manifeste coarguuntur colligendo pecunias et absolvendo ab omnibus casibus, et alia agendo, per que fidelium mentes seducant et decipiant, et ex quibus nisi provideatur oportune, scandala generari et fidelium populorum devotio minui et magnis erroribus involvi omnes poterunt. Talium autem indulgentiarum publicatarum Ducem et Primarium inter ceteros habere dicuntur quendam Richardum Pontanum, qui Legatus appellatur, plures etiam alii Cerretani clerici et laici similia dei timore postposito attemptant cum pernitie animarum. Quare cum tanta temeritas et perversa hominum audacia coheranda sit, hortamur fraternitatem tuam Tibique committimus et mandamus, ut tales Ceretanos et falsarum literarum seu iam revocatarum publicatores et assertores capi et detineri cures Suffraganeosque tuos commonefacias, ut ad id etiam studium adhibeant eosque si illuc divertent comprehendant, et detinea-

tur, qui non relaxentur donec aliud a nobis fuerit ordinatum.
Datum . . . . . Similia
(omissis)
hortatoria tantum et absque clausula Suffraganeorum Regi Polonie
(omissis).

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Bolle ed Atti della Curia Romana b. 24 N. 183.

LXV.

MCCCCLXXI. die II. Januarii in Radom.

Rex Poloniae ad Ducem Dominum Christophorum Maurum et Dominium Venetiarum dat literas Oratoribus suis patentes Credentiales ituris ad Dominum Paulum II Pontificem Romanum.

Kazimirus Dei gracia Rex Polonie, Magnus dux Lythwanie, Russie Prussieque dominus et heres etc. Serenissimo Principi domino Cristoforo Mauro Venetorum Duci Amico nostro singularissimo omnis boni continuum incrementum. Serenissime princeps et Amice noster singularissime. Pro habenda vobiscum et cum Illustrissimo Venetorum dominio intelligencia et familiaritate, quam Serenissimum genitorem nostrum Wladislaum olim Polonie Regem constat habuisse, Magnifico et Spectabili militi Iacobo de Dambno Regni Polonie Cancellario et Capitaneo Cracoviensi et venerabili ac religioso fratri Michaeli Monasterij Sancte Crucis in monte Calwo Ordinis Sancti Benedicti Abbatis, Nuncijs nostris et Oratoribus ad Sanctissimum dominum nostrum Paulum papam secundum destinatis, singulariter iniunximus facere ad vos personalem descensum atque vobiscum familiares super nonnullis rebus habere tractatus et sermones. Quibus rogamus in dicendis fidem vestra caritas adhibeat de intencione nostra ad plenum informatis. Datum in Radom die Mercurij secunda Ianuarij, anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo.

(L. S.)

Comissio
Domini Regis.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Patti Sciolti Serie I^a. busta 25 N. 538.

LXVI.

† Iesus. MCCCCLXXIII. die XVI. Octobris in civitate Caffe.

In nomine domini amen. Hec est quedam translatio de lingua (arabica) et lingua persica in lingua latina seu Italica cuiusdam littere magni et potentissimi Assambech directe Illustrissime Dominationi Venetiarum, translate de dictis linguis videlicet arabica et persica in idiomate Italico de mandato Spectabilis Domini Christophori de Calle, honorandi Consulis Mercatorum Venetorum in Civitate Caffe. Instante ac requirente Magnifico domino Catharino Zeno Veneto Oratore Illustrissime Dominationis Venetorum ad prefatum dominum Assambech ac Oratore prefati Domini Assambech ad Summum Pontificem, ad Serenissimum dominum Imperatorem Romanorum, ad Serenissimum Ferdinandum Regem Sicilie, ad Serenissimum dominum Kazimirum Regem Polonie, Serenissimum dominum Mathiam Regem Hungarie, nec non ad prefatam Illustrissimam Dominationem Venetiarum, per me Constantium de Sarra artium liberalium magigistrum: et specialiter ad hoc negotium cancellarium electum per prefatum dominum consulem tanquam suum confidentem de verbo ad verbum: et verbum pro verbo nihil addito vel mutato, quod mutet sensum aut variet intellectum, nisi forte forent alique dictiones in illis linguis que per propriam Italicam dictionem non possent transferri: quas dictiones exposui per propinquiorem dictionem, que potuerit conformari tali arabice, sive persice dictioni: Que translatio facta fuit interpretante Coza Goli Armeno docto viro et perito in dictis linguis: ipso interpretante et me transferente mediante fratre Georgio de ordine unitorum perito in lingua armena, et Tartarica verba illa mihi exponenti in lingua Italica. Et que litera habet signa sex rotunda videlicet unum in fine littere a parte interiori, et reliqua quinque etiam in fine littere a parte exteriori. Que translatio talis est: scripta tamen per alium mihi confidentem.

In nomine omnipotentis Dei (litteris aureis).

Unus Deus (litteris aureis). Hec sunt verba resplendentis atque fortis Assan (litteris nigris).

Grandissimo honorandissimo gran Signor: Signor de grandi Signori, Relucentissimo Signor Sultan sula fede christiana Nicolo Trun Doxe de Venexia cum la man ala gola me inclino, e ale bone parole non torno indriedo: Ma anchora me inclino: Ahora ve fasso assaper come Sultan Othoman per mal far vegniva suxo el mio pexe: e le vegnudo ale contrade de Arzinga: et Nui a pocho a pocho semo venuti al intorno del ditto Arzinga, Pochi deli nostri homeni sono scontradi cum quelli a volto a volto cum la vostra Benedition adosso i nostri nemici havemo superati di cinquanta sie millia homeni de quelle del Othoman havemo tagliadi a pezi: et cento e cinquanta Subassi et trentacinque Capitanii grandi havemo prexi vivi: Dentro de questi xe Casmorath. Lothman de queste cosse ha fatto grande pensamento: et tuto in torno in torno havea fatto fossi: et havea grande pensier. el fundamento so e de gran Signor Ma alquanto sono tornado indriedo: et quello laltro zorno ĕ tornado indriedo ale parte del suo paexe ha dato el suo volto: et Nui a si havemo seguido driedo: Tanto havemo seguido apresso, che presto xe insidi fuora del nostro paexe. Dapoi alquanti zorni andassemo ala volta dela caza, et andar a tanfar uzo, per el tornar fece indriedo quelli, havemo cavalcado: et una parte de i mei homeni senza la mia parola cazete intro de quelli et fece bataglia. Pocho de rota ne ha fatto manchamento come cossa fortuita. I othomani de simel cossa pocha; se ha fatto a loro grande favor et nome. Et sono tornadi indriedo. Nui semo in reposso in nostro paexe in paxe. Dentro el mio spirito zorno e note e che questo primo tempo cum la vostra union: et cum la volunta de dio cavalcharemo adosso lothoman, et non sapiate altramente perche questo e el mio lavor. Io ho manda sul mio paexe Frach: Ufars: Cremanth fin ala porta de Condustam e mio paexe Tabarsaram, Masenderam, Gilahum, Sarabath, Adir Baian, Bagdad. Questi tuti mie paexi, et in tuti mei luogi dove sono zentedarme e commeto quando comandaro tuti siano a mi. Sapie non sara altramente. Bixogna queste cosse non meter in dubio, perche la mia parola xe una et la vostra disposition senza fallo avixeme, e che le vostre lettere non manchi de quel vuy delibere, et che me fasse assaver: che non manchi: che li vostri

homeni vegna a mi de continuo, et dogni cossa savere da Catharin Zem Ambassador. Data ala nostra Porta die primo lune mensis Augusti VIII^c. LXXVII. a Machometo citra.

Nos Cristophorus de Calle per la nostra Serenissima Signoria de Venexia Consolo in la presente Cita de Gaffa de la prenominata inclyta natione affirmamus omnia suprascripta: et ad robur omnium premissorum iussimus has sigillo gloriosi evangeliste sancti Marci impressione muniri manu propria.

(L. S. N.) Ego Constantius de Sarra: artium liberalium magister: et publicus Imperiali auctoritate notarius tanquam confidens prefati domini Consulis suprascriptam litteram transtuli ut supra: et ad veritatem premissorum Signum meum notarie apposui consuetum.

(*Archivio di Stato in Venezia.*)
Commemoriale XVI c. 76 t.

LXVII.

MCCCCLXXV. die V. Iunii.

Ser Sebastiano Baduario Oratori nostro apud Serenissimum dominum regem Hungarie.

Ex Possonia per Lazchum tabellarium reddite nobis sunt litere vestre dierum XXIV et XXV mensis Aprilis proximi. Placet nobis sumopere, ut cum oratoribus regis Boemie locuti fueritis sicut scribitis pro declaratione causarum vestre legationis et optime amicissimeque mentis et dispositionis nostre in utrosque patrem scilicet Polonie et filium Boemie reges. Et quotienscumque occasio vobis occurrat, ut cum oratoribus sive nuntiis suprascriptorum dominorum regum, et utriusque eorum congrediamini, facite illud idem servata semper modestia et gravitate.

Intelleximus preterea id quod per postremas ad nos scripsistis de mente et intentione istius Serenissimi domini regis non irritandi Turchum etc., quoniam practice Rome alium habuerint exitum quam quesitum speratumve sit, et de mentione vobis facta missionis oratoris nostri Constantinopolim pro materia pacis.

Respondebimus ad utrumque, ut regie Sublimitati nota sit veritas, nota dispositio et voluntas nostra, que semper eadem fuit futuraque est erga Maiestatem suam pro favore et tutamento rerum christianarum. Consyderantes igitur Italiam divisam et diffidentem inter se, et fieri non posse, ut hoc rerum statu succurri res christiane possint: diu cupiimus, et maximo queritavimus studio illius unionem ut inde ad generalem contributionem pro expeditione christiana deveniretur, cuius ducem et imperatorem fore augurabamur et profitebamur regiam Sublimitatem per vos illi declarasse et suis coram dixisse oratoribus meminimus, non fuit modus, ut ante initum cum Illmo domino duce Mediolani, et Excelsa communitate Florentie fedus id assequi valluerimus volente pontifice, volentibus suprascriptis duobus potentatibus et alio, quem sine alia nostra expressione optime intelligitis, simulante et totum oppositum faciente. Post autem conclusum fedus predictum manifestum et indubitatum est non defuisse ab aliquo nostrorum trium confederatorum, quin Italia tota in unam veniret societatem et nexum. Operationes autem nostre ante fedus predictum manifeste fuere domino Nicolao Vacensi oratori in curia regie Maiestatis, cui in omnibus regiis postulatis maximo studio apud pontificem et Cardinales fecit de nostro mandato nobilis Civis et orator noster Antonius Donato. Post initum vero cum suprascriptis duobus potentatibus fedus luce ipsa clarius est quantum pro unienda Italia laboraverimus et quas, et a quo materia difficultates et contraditiones habuerit et testes rerum omnium et presentium Italie voluntatum et conditionum possunt esse locuplectissimi oratores regie Maiestatis, qui diu fuere in Curia, propterea in hac parte longiores non erimus. Meminimus etiam ad vos pluries scripsisse potissimam et validissimam rationem et viam persuadendorum et inducendorum Italie potentatuum ad suppetias Maiestati regie faciendas esse celerem discordiarum cum Polonia et Boemia compositionem et aptamentum et conversionem virium regni una cum persona regie Sublimitatis ad confinia inimici, sicut dissidia illa oppositum effectum productura cognoscebamus.

De oratore nostro misso Constantinopolim sic res se habet. In ipsa celeri et constanti fama ingentium maritimorum

apparatuum Turci, requisiti fuimus bono medio de mittendo ad portam oratorem quempiam nostrum pro materia pacis, ad quam hostis dispositus nobis affirmabatur. Et quamvis existimaremus huiusmodi propositionem factam intentione magis nos retardandi a necessariis provisionibus pro obstando ingenti Classi sue, quam pacis voluntate, nihilominus ut illa eadem simulandi arte nos quoque uteremus, oratorem ipsum destinavimus, et nihilominus vacavimus atque incumbuimus preparationi et expeditioni Classis nostre nihilo tardius segniusve, quam si nulla omnino de pace mentio facta nobis esset. Res tandem illum habuit exitum, quem habituram credidimus. Discessit enim orator noster infecta pace. Et quamvis Turchus illi dici fecerit Classem usque ad menses sex ex Elesponto non se esse transituram, Nos tamen periculosum arbitrari fidem habere verbis suis, qui tantum differet ad nos offendendos, quantum cognoverit non posse id facere, quando presertim nulla est facta in scriptis obligatio. Solicitavimus jugiter augere Classem nostram triremibus et navibus maiorem quam in mari antehac habuerimus, ut non solum statum nostrum sed ceterorum omnium christianorum orientis tanto subiacentium periculo propugnare conservareque valeamus.

Hec omnia regie Maiestati gravibus et accomodatis verbis volumus declaretis, ut unde processerit dissolutio practicarum Rome et frustratio laborum et agitationum nostrarum: Et quo in statu res christiana cum hoste sit, sine errore intelligat.

Intelligere potuistis ex forma mandatorum nostrorum, quando deliberavimus ut in Poloniam proficisceremini, quenam fuerit voluntas nostra et respectus nos moventes. Satis enim perspicue locuti sumus nostri esse propositi et intentionis prodesse per hanc vestram legationem rebus christianis, non obesse amicorum rebus. Et magnum fecimus casum de verbis, quibus ante vestram in Selesiam profectionem et post etiam reditum vobiscum usi fuerant illi barones egerrime ferentes nuptias et affinitatem cum istius Serenissimi domini Regis, cum Serenissimo Rege Ferdinando. Et propterea circa conversationem cum oratoribus eiusdem regis Ferdinandi moderavimus et correximus priora mandata nostra. Cuius Maiestas cum fuerit causa ut

confederatio atque unio Italie cum habuerit bonum et consequenter deserta sit expeditio christiana, loquimini et agite per modum, quod iste Serenissimus dominus Rex veritatem rerum agnoscat, et sine offensione baronum istius regni et Vicinorum regum amicorum nostrorum in benivolentia nobiscum perseveret.

Post scriptas alias vestras accepimus literas ex Possonio diei XXV aprilis cum incluso exemplo prosperorum successuum gentium istius Serenissimi domini regis contra inimicos in partibus Belgradi et Smedrevi. Nescimus an postea id nuntii confirmatum vobis sit, de quo nihil sensimus aliunde. Si res ita habuerit, ut scribitur in illa Cedula, quod iam pridem vobis notum esse debet, gratulemini regie Celsitudini nostro nomine, et utimini hac prosperitate ad vestrum propositum et favorem pro persuadenda regia Maiestate ad prosequendam dei voluntatem, quam bona in brevibus diebus de hostibus victoria et utraque gloriosa cognoscere potest.

Priusquam iste obsignarentur litere, alie vestre supervenere ex Buda, et inter cetera intelleximus id quod nuper multifariam etiam ad nos allatum est Turchum mari et terra copias ingentes mittere ad opprimendam Mundaviam, quod si sibi ex voto succederet, quod deus avertat, male consultum esse regno isti et reliquis vicinis christianis. Credimus regiam Sublimitatem non esse in tanto periculo cumctaturam. Sed nihilominus vos quantum potestis hortemini et persuadere nitamini ad suppetias Vayvode Stefano ferendas; et ad illum conservandum posthabitis particularibus simultatibus et respectibus, qui in tanto tanquam generali periculo sunt posthabendi. Et de successu nos tenete cum diligentia advisatos.

De parte 144.
De non 0.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 17.

LXVIII.

MCCCCLXXVI. die XIX. Maij.

Serenissimo Domino Regi Polonie.

Rediit ad nos tandem Joannes Baptista Trivisanus Secretarius noster, quem superiori tempore ad Imperatorem Tartarorum ad amiciciam cum illo et ad belli contra Othomanum societatem provocati miseramus. Venitque orator eiusdem Imperatoris, et ex verbis Joannis Baptiste, sed non minus rebus ipsis regiam vestram in nos benivolentiam agnovimus. Omnia enim recensuit nuntius noster, que in nostram gratificationem Maiestas vestra sibi contulit conferrique fecit in universa vestra amplissima ditione et regno tuta commoda et honorifica, vestram tandem regiam mentem et dispositionem apperuit non incognitam nobis antehac, sed plurifariam declaratam jocundissimam tamen, nova eiusdem nuntii nostri relatione, unde sit ut regie Maiestati vestre sempiternam gratiam habeamus. Et si se prestiterit occasio, ut animi nostri gratitudinem, amorem et observatiam Maiestati vestre perspicuam facere aliquo vestro commodo et gloria valeamus, id faciemus non minus prompte quam libenter et studiose. Causam missionis eiusdem nuntii nostri ad suprascriptum Imperatorem superius tetigimus queque postea secuta sint, Maiestas vestra ex Joannis Baptista cognovit: Nos autem ne opportunitatem opprimendi comunis hostis amittamus quamcunque nancisci possemus tam citra quam ultra mare, ubi movimus et movere denuo satagamus Illustrissimum dominum Ussonum Cassanum, ad Imperatorem Tartarorum scribimus declarantes appulsum ad nos oratoris sui cum secretario nostro et perseverantem nostram mentem et desiderium, ut sicut policitus est exercitum per oram maris Euxini ad Danubium ducat trajiciatque in ditionem hostis: qua occasione si deus prestiterit poterunt cristiani reges et principes commodissime uti ad depelendum timorem, sub quo soliciti ex immanis inimici rabie et potentia vivunt. Regiam igitur Maiestatem vestram enixe rogamus, dignetur benigne permittere, ut tabellarius, qui istas Sublimitati vestre reddet cum

ipsis literis nostris et cum literis oratoris Scithici ad Imperatorem, securus et incolumis per omnem vestram ditionem transiens in Urbinum cito perveniat, ubi nuntios esse audivimus eiusdem Imperatoris prestolantes literas ipsas; quibus de nostra voluntate et rerum conditionibus Imperator certior factus parare se ad descensumque Danubii valeat. Et per moram sive aliquod iniectum offendiculum causam non habeat avertendi animum suum ad aliud capiendi consilium alienum a presenti necessitate rerum; hac autem re nullam hac tempestate nobis gratiorem et rebus cristianis opinione nostra commodiorem regia vestra Sublimitas facere posset: quam precamur de istarum receptione deque tuto itinere et appulsu tabellarii nos faciat suis literis certiores.

Datum die XVIIII. Maii 1476.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 70 f.

LXIX.

MCCCCLXXVII. die primo Januarii (MCCCCLXXVI. more veneto).

Expositio Spectabilis Calimachi Oratoris Serenissimi Domini Regis Polonie fuit in hunc effectum videlicet.

Regiam scilicet Maiestatem cognoscentem, quo studio et diligentia Illustrissima dominatio bellum Turci sustinet grave difficile cunctis Christianis principibus, non solum commendatione dignam iudicavit pietatem et religionem dominii, verum etiam per omnem oblatam occasionem operam dedit et quantum in se fuit effecit, ut cogitata et consilia dominii locum haberent etiam cum aliquo periculo et perturbatione status regii sui. Digna enim res visa est, ut rebus propriis tam piam mentem et religiosum propositum quilibet christianus princeps anteponeret, et presertim regia Maiestas, cui omnes Oratores et nuntii Illustrissimi Dominii missi ad negotia christiana procuranda et transitum facientes per regiam ditionem Maiestati sue constanter explicavere amorem et charitatem atque adeo existimationem et cul-

tum eiusdem Dominii de regia ipsa Celsitudine, que amicissima benivolentie et amoris explicatio causam pluries prebuit regie Celsitudini indolendi, quod dominium ageretur per conditiones et terminos principatuum christianorum ad externa longinqua et hostilia potius presidia pro favore rerum christianarum confugere. Libenterque ante hac regia Sublimitas suam declarasset opinionem tam in negotio Ussoni Cassani quam etiam Tartarorum nisi dubitatio illam tenuisset modice acquirende fidei. Impresentiarum autem cum Secretarius vester, quem ipse oratorem appellat, copiosius et locupletius regie Sublimitatis declaraverit optimam et amicissimam mentem dominii in omnem decus et amplitudinem regie Sublimitatis suoque judicio et consilio remiserit tractationem rei Tartarorum: visum est regie Sublimitati et gratias agere et offere quecumque suarum virium est, et ingenue hac oblata occasione sensa explicando sua in negotio Tartarorum. Nam res persicas et Ussoni Cassani per se satis ex ipsa experientia et sine alio regio memoramento manifestas esse affirmat. Et primo dicit regia Sublimitas, benivolentiam dominii sibi adeo esse cordi atque placere, ut non solum ex illa letetur, sed glorietur etiam, gratiasque agit immensas et immortales pro Magnificis oblationibus, et ediverso sua omnia regna filios et facultates quascumque offert, pro amplitudine et gloria dominii. De conditionibus Tartarorum regia Sublimitas dominationem facit certiorem nullam posse per illas gentes utilitatem sive commoditatem afferi rebus christianis propter distantias locorum, angustias et difficultates viarum et flumina interposita et transitu difficilia cuicunque expeditissimo exercitu nedum Tartaris, impedimentis familiis jumentis et ceteris quibuscunque arcubus gravatissimis adeo ut X^{M}. passum iter in uno die conficere possit. Et quando etiam casus huiusmodi superarent difficultates habere non potest gens illa tam numerosum exercitum ut Turcos possit opprimere non quia regia Sublimitas neget in regione inter Caspium mare et Tanaum iacente esse numerum huiusmodi hominum, sed quia inter se discordes dissidentesque sunt ut facilius sit christianis convenire cum Turcis quam eos inter se; nec est aliquis eorum etiam potentissimus qui plures habeat quam X^{m}. aut

XII^{m}. militum. Est preterea gens perfida inimica cristianorum, instabilis. Consueti et apti vivere, ab qua nihil nisi exitium ubi prevaleant nunquam est expectandum. Quod si dominus rex videret aliquid commodi ex ea gente posse rebus christianis obvenire, non detrectaret regia Sublimitas impensam aut laborem aliquem pro illa pretio et muneribus alicienda et inducenda ad impresiam contra Othomanum communem hostem, nullumque regnorum suorum periculum recusaret. Sed cum gens huiusmodi hominum perfidum sit, rapax, inconstans et contra Turchum invalidum et imbecillum causis et rationibus supradictis: relinquit regia Sublimitas considerationi et maturo juditio Illustrissimi Dominii, quid sperandum expectandumve et agendum sit in hujusmodi practicis et negotiis.

Duo sunt reliqua: Alterum quoniam Secretarius regie Sublimitatis exposuit bis per dominium oratori suo in Hungaria agenti commissum fuisse ut ad regiam Maiestatem Polonie accederet, et per Regem Mathiam fuisse retentum, Maiestas regia cogitans causam non fuisse negligendam: cupit et petit advisari, quas ob res dominum oratorem predictum mittere ad illius presentiam instituerat, ut ipsa Maiestas valeat si quid accidit quod facere possit Illustrissimo Dominio gratificari.

Alterum hoc est: Intellexit regia Maiestas convenisse superiori anno hic oratores potentiarum christianorum pro consultanda materia christiana, unde regia Sublimitas cupit quantum fas sit intelligere factas deliberationes et decretas provisiones, circa vires modum tempus et cetera deliberata et facta necessaria pro exterminio quantum deus permiserit causas inimici ut regia sua Sublimitas consultius statui rebusque suis valeat prospicere. Non enim dubitat regia Sublimitas Turchum, qui anno superiori Danubium omnibus viribus traiecit, rem antehac insolitam inauditam penitus in viscera christianorum esse penetraturum, ut quod semel superato et transmisso Danubio existimato insuperabili et clipeo christianorum inexpugnabili, non est cessaturus ab invasione et oppressione regnorum suorum, universe Germanie et reliquorum christianorum principum.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberationi Senato Secreti, reg. 27 c. 119.

LXX.

MCCCCLXXVII. die I. Januarii (MCCCCLXXVI. more veneto).

Quod Oratori Serenissimi domini Regis Polonie respondeatur.

Audivisse nos multa jocunditate ea que nobis exposuit duobus presertim rationibus: et quia plena sunt sapientie et gravitatis regie, plenaque singularis erga nos benivolentie et amoris: et quia exposite ab ipso Magnifico oratore prudentissime et elegantissime, ut res suapte natura magne et ponderose ornate plurimum, et cum sua dignitate explicate sint. Et sicut regie Sublimitati ingentes gratias agere debemus et agimus: ita est orator ipse gratia plurima apud regiam Celsitudinem dignus, et apud nos commendatione et laude.

Cuncta autem, que nobis exposuit de accessu et regressu oratorum et nuntiorum nostrorum per amplissimas ditiones et regna regie Sublimitatis, rerum christianarum causa, deque nostra spe et fidutia in regiam Maiestatem postulato sepius consilio favore et auxilio ad transitum eorum, deque liberali amica et rege christiano digna in eisdem comitate et commodorum petitorum prestatione, vera sunt et multa alia, que veterem amorem nostrum cultum et observantiam in eandem regiam Celsitudinem auxissent, si augeri potuisset, ut mirum in modum nostras erga se obligationes auxere. Mirari autem desinat regia Celsitudo, si nos ad barbaras misimus nationes nostros oratores et nuntios, quoniam magnitudo belli christiani id persuasit; non quia nos penitus laterent illarum gentium conditiones, sed ex uno latere tarditas christianorum, dissidium et discordia inter se et sexcenti difficiles et eos remorantes respectus et cause, ex altero magnitudo belli vigentium et periculorum instantia nos impulere ad ea cogitanda et tentanda, que et antiquis et proximioribus temporibus accidere, ut dicere potuerimus: flectere si nequeo superos etc. Neque a ratione et prudentia dissonum aut aliter inconveniens reputamus potentiam christiani hostis Turci oppugnari et opprimi similium hostium viribus, si Deus voluisset, accessit ad hec omnia consideratio nostra, quod si cetera minus successissent, non deerat tamen commodum alicuius reputationis et imaginarii

saltem favoris, qui in maximis rebus sperni non consuerunt. Cognito autem regie Sublimitatis consilio et juditio in re Scythica: aliud dicendum non occurrit, nisi quod Maiestati sue et pro comunicatione et declaratione rerum illarum sueque sententie et consilii: et pro magnificentissimis piis et religiosis oblationibus suis gratias agimus: si non quas tanta pietas et studium rerum christianarum, et in nos precipua benivolentie significatio meretur et exigit, eas saltem, quas pro viribus et facultatibus possumus. Cetera illi pro meritis tribuet, qui omnia potest, et quod Maiestati sue talem dedit animum de sua fide et religione merendi, dabit etiam ipse proculdubio potentiam, modum et occasionem: Sed difficillimum fore credimus non solum eidem Maiestati sed omnibus etiam regibus et principibus christianis finitimis presertim Inimico, nisi sua inter se tolant aut componant dissidia et negotia pacificent omnia, unitisque et concordibus viribus insurgant non solum in mutuam propugnationem, sed in comunis hostis oppressionem et delectionem.

Causas, cur bis oratori nostro in Hungaria tunc agenti imposueramus, ut ad regiam Sublimitatem Polonie accederet, explicari regie Celsitudini per Joannem Baptistam Trivisanum Secretarium nostrum iussimus easque Magnificencie sue breviter perstringemus. Duplex ipsa causa fuit, ut duplex nostrum oratorem ipsum ad regiam presentiam mittendi decretum, prima causa et prima nostra deliberatio fuit tempore, quo munitissimum opidum nostrum Scutari obsidione cinctum ab hoste oppugnabatur, cum quo si periclitasset, periclitari videbamus magnam rerum christianarum partem. Mittere igitur tunc constituimus oratorem ipsum ad reges et principes christianos et illos presertim, quos et posse sciebamus et velle sperabamus comuni labenti rei suppetias ferre; et inter ceteros ad regiam Maiestatem Polonie, quam potentem et religiosam nobisque amicam sciebamus, ut quod soli facere posse diffidebamus, per reges christianos amicos facere tentaremus.

Secunda causa fuit hec. Orator noster Bude agens et Maiestatem Hungarie illic operiens, vocatus fuit in Vratislaviam preter nostram intentionem et mentem, ut qui probe intelligebamus, accessum oratoris nostri illuc posse forte illa tempestate

et rerum illarum statu et conditionibus ingratum fore regie Maiestati Polonie cum nullo rerum christianarum fructu aut comodo, quarum dumtaxat causa oratorem ipsum miseramus et tenebamus in Hungaria. Accepto igitur nuntio profectionis oratoris nostri predicti in Slesiam e vestigio illi imperavimus, ut ad regiam Maiestatem Polonie accederet, eique declararet hec omnia, et nostram optimam erga se intentionem et mentem, declararet etiam summam ducatorum XV ^{M} paulo ante datorum per nos Serenissimo Regi Mathie datam fuisse, ut bello hostem lacesseret pro divertendo exercitu ab oppugnatione Scutari, hortareturque tandem et persuadere niteretur nomine nostro regiam ipsam Celsitudinem ad pacificationem rerum suarum, et ad compositionem discordiarum cum ipso eodem Serenissimo Rege Mathia, et ambo non solum regna, sed rem etiam tutari et sustinere christianam adversus tantum furorem et impetum, quantum formidolosus inimicus quotidie in nominis christiani eversionem facit. Hec fuere in substantia mandata bis data oratori nostro: que orator ipse impeditus rerum christianarum causa et studio revocandi eundem regem ab illis superioribus partibus ad partes inferiores hosti finitimas, exequi non potuit, ut nostra erat intentio et voluntas.

De conventu oratorum principum christianorum, et de conclusione facta, non solum fas, sed convenientissimum necessarium arbitramur, ut regia Sublimitas omnia intelligat, que acta sunt. Convenere anno superiore in conspectum Summi pontificis moventis et vocantis oratores potentiarum Italie, pro consultando negotio christiano et pro obsistendo inimico ne ulterius in eversione christiani nominis debacetur. Et post longam agitationem et practicam conventum tandem est, ut certa pecuniarum quantitas ex pontificiis decimis per legatum apostolicum mitteretur in Hungariam, que missa est et distributa per eum in copias, quas rex ipse conduxit et tenet ad offensionem hostis in partibus inferioribus Servie et Rossie finitimis. Et certa alia maioris quantitatis ex comuni potentiarum contributione cumulatur expendenda in suffragium rerum christianarum ubi quando et quomodo maior periculosiorque rerum christianarum necessitas exigat et urgeat. Hec fuit totius tractationis summa et conclusio, sicut

Magnificencia Sua ab ipso pontifice intelliget, si forte regio imperio in curiam est profecturus.

De parte 161.
De non 0.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 119 t.

LXXI.

MCCCCLXVI. die VII. Januarii (more veneto).

Summa secunde expositionis Spectabilis Calimachi Oratoris Regis Polonie hec fuit.

El sono per finir le treugue fra el Re de Polonia et Boemia cum el Re Mathia de Hungaria in le qual interviem limperador. Et ben che limperador habia molto solicitato el Re de Polonia ala fractura de quelle avanti el tempo, et de questo ne sia anche stato volontaroxo et ardente el Re de Boemia come onfexo da Mathia et come zovene: Addita a queste doe impelente conditione questa altra occaxion et comodita de la moglie tolta duchessa de Slesia potente de stato e richa de danari: pur el re de Polonia come recto et fedel Signor non ha voluta passendo luno e laltro zoe limperador et el fiolo cum el termene de le treugue. Uno altro anche respecto lo ha retenuto che e quello che limperador voleva che acquistato et renduto pacifico el fiolo del Re de Polonia in universo regno Boemie luno e laltro re lo aiutasse lui alo acquisto del reame de Hungaria per suo fiolo, el che non voria el re de Polonia, perche questa saria una voluntaria privation de suo fioli de le raxon hereditarie del reame de Hungaria al qual aspira per suo secondo genito.

Approsimandosi adonque in queste pentecoste el termene de le treugue facendosi la prorogatione segue questi beni chel re Mathia non se diverte da la soa imprexa anzi piu validamente a quella potra attender. El re de Polonia simelmente

potra dimostrarsi in campagna, et suas explicare vires contra lo Inimicho comune. Unde intendando el papa quanto etiam per altra via se possi nocer alo inimico et similiter i altri principi christiani se potra tuor de le imprexe, che molto sublevera le cosse comune. Ma non se prorogando necessario sera el re de Polonia condescender ale voglie et tentamenti del Imperador et del fiolo re de Boemia et venir a fractura e guerra cum el re Mathia. Et tanto piu questo sara facile et necessario quanto i baroni de Polonia per le inzurie ricevute, et per el viver presente soto sospecti et male volunta li sono inclinati volontaroxi. Et potra anche seguir questo altro maior et piu pericoloxo mal chel re de Polonia, el qual per el Turcho e invitato et solicitato a far contra el re Mathia, et favorir dicto re de Polonia alo acquisto del reame de Ongaria per el fiolo del dicto re; Vedendo el papa e le potentie christiane soto nome de imprexa christiana favorir Mathia de danari, pigliava dicto partito et conditione cum el Turcho: Et per confirmar questo mostro una copia de una litera che par chel Turcho scrivi al re de Polonia che fa mentione de ambassadori mandati dal dicto re al Turcho et chel Turcho mandara a lui. Mostro auche un altra letera de Stephano Vayvoda per la qual Stephano confessa et promette esser suo homo et vassalo. Inferando che dicto Stephano sia per esser cum lui in ogni imprexa si contra el Turcho come contra el re de Hungaria. La cauxa veramente di suo ambassadori mandati al Turcho disse esser per liberar Stephano; Et de tal liberatione molto se ne da laude: pur manifestamente se vede et comprende non haria manchato practica dal re al Turcho.

Dapoy la narration de tuti questi pericoli et mali, conforto che la Signoria procurasse che per ogni modo queste triegue se prorogasse. Ale qual dice chel re de Polonia consentira se li siano aposte queste doe conditione. Luna che ne sia excluxo el Veschovo chanmense, el qual e in Pursia nominato per el re de Hungaria nel numero che per le inducie facte li fo reservata faculta de nominar et e rebello non solamente de soa Maesta ma anche de la Sede Apostolica perche invitto pontefice locupa etiam una giesia in quelle parte.

Laltra chel Summo pontefice sia contento de ricever i ambassadori del Re de Boemia come ambassadori de re: la qual cossa po et die far anche el Summo pontefice, et e consueto farlo in tutti i altri cussi veri et indubitati re come intruxi, et cussi expulsi come possidenti, perche questa indifferente appellatione et nominatione non deroga ale raxon de alcuno: Et Summo pontifice indifferentem omnium parentem decet. Molto se dilato in questo persuader et non dar materia al Re de Polonia de trabuchar et cum suo pericolo periclitari omnem rem christianam. Et perche el tempo strenze de qui a pentecoste, et non basta al practicar et condur questa prorogation ad desyderato et necessario termene ricorda dicto ambassador che per la via del Summo pontefice se cerchi tal cossa, el qual de sua auctorita quelle ordeni et statuischa cum le soprascripte doe modificatione la qual via e prestissima e potra esser effectuale facile et valida, et ogni altra seria longa difficile et imperfecta.

Die VII. Ianuarii.

Facta responsione Magnifico Oratori Serenissimi domini regis Polonie visus est non perfecte intellexisse nostram intentionem circa practicam Tartarorum sive prosequendam sive derelinquendam circa quod articulum petiit et cum instantia distinctius declarari. Subiunxit postea multa de prorogatione indutiarum inter Serenissimos dominos reges Polonie, Boemie et Hungarie in quibus inseritur etiam Imperatoria Maiestas circa quam materiam et beneficium rerum christianarum ex uno latere prorogatis scilicet illis, et altero autem incomodum malum et periculum maximum si ad fracturam belli deveniretur copiose declarare nixus est: sicut huic consilio per Serenissimum Dominum ducem explicatum est. Iccirco vadit pars quod eidem Oratori circa utramque partem dicatur in hunc modum.

Quod ultra ea que proximis diebus Magnificencie sue diximus de causis que nos moverunt, et de nostra opinione circa practicas infidelium, quibus satis perspicue potuit mentem nostram intelligere et existimationem quam de regia sententia et

consilio facimus, nostramque curam et studium incolumitatis status regii: hec tamen pauca subiungere volumus ipsam scilicet mentem et intentionem nostram non fuisse trahere Tartaros per regna et ditiones regie Maiestatis Polonie ob pericula memorata per eumdem oratorem nomine regie Sublimitatis non abscondita nobis, aut a nobis parum existimata, existimantibus et cupientibus comoda status regie Celsitudinis non secus ac nostra propria. Sed sicut per Ioannem Baptistam Secretarium nostrum copiosius et distinctius regie Sublimitati fecimus declarari, opinio nostra propositio et tentamentum nostrum fuit et est ut gentes ille, transmisso Tanai et deinde Borisene prope pontum per oram semper maritimam rippis Histri copias admoverent, et cum favore et auxilio Illustrissimi Stephani Vayvode, quem ad id promptum fore sui oratores nobis affirmaverant traiicerent in Bulgariam, ut nullo amplius relicto obice aquarum sive montium et angustiarum possent in ipsis visceribus offendere inimicum, per quam optatissimam occasionem potuissent christiani principes concurrere undique ad extinctionem comunis pestis et incendii et ad liberationem tante unicuique impendentis calamitatis. Et quando per ceteras conditiones illius gentis huiusmodi via et expeditio sortiri effectum posset, judicaremus illam optimam et salutarem et citra periculum regie Sublimitatis et ceterorum omnium principum christianorum. Confirmatur etiam nostris huiusmodi vetus cogitatio et opinio descensus et itineris suprascripti: novis literis quas ab nostro Secretario ex Moldavia accepimus scribente Tartaros confiniis Vayvode Stephani adhesisse, quos idem Vayvoda amicos reputat, et de suo descensu et ad eum appropinquatione plurimum letari videtur sperareque et expectare ab eis magnum contra Turchum auxilium. Sed quando etiam res ad effectum et actionem deduci non posset ob allegatas ab ipso oratore conditiones et difficultates existimamus practicam ipsam non posse nisi prodesse rebus christianis, vel ipsa sola fama et reputatione, que in rebus magnis ut non mediocris momenti plurimum semper existimata fuit et a principibus et dominis rerum culta et studiose conservata et mille artibus et modis augeri quesita. Hec cum regia Sublimitate amicissime et confidentissime loquimur, que de

amore in se nostro desyderio et studio commodorum et glorie sue illam facere debet existimationem quam magnitudo et veritas affectionum predictarum exigit.

De prorogatione indutiarum omnia intelleximus que prudentissime idem orator nobis exposuit. Et priusquam illum audiremus suadente et demonstrante ratione cuncta intelligebamus comoda que de concordia christianorum, et incomoda atque pericula que ab discordia expectantur et proveniunt. Et iam pridem tam cum Summo pontifice quam cum rege Mathia non solum inducias inter utrumque regem, sed perpetuam pacem diligentissime et indefesse quesivimus. Et si mandata oratoribus nostris plurifariam data, tam in Hungaria agentibus quam in curia regia Maiestas videret tangeret manibus amorem in se nostrum nostramque curam et studium incolumitatis gloriam et comodorum suorum. Et ut que proximiora et recentiora sunt secum comunicemus unum et id quidem efficacissimum capitulum et mandatum quod in sua habet commissione orator noster nuper missus ad pontificem, hoc est ut supra cetera prorogationem querat induciarum predictarum, et talem aptationem et pacificationem inter utrumque regem, quod uterque possit rei christiane strenuam et fidelissimam navare operam. Et heri etiam non nihil huius negotii scripsimus scribemusque jugiter. Et nihil omittemus quod per nos fieri possit persuadereque nitemur ut in duabus illis adiiciendis conditionibus regie Celsitudinis mos geratur, quam tamen rogatam et persuasam volumus ut si forte duo illa articula aut alterum eorum obtineri non posset non desistat propterea remanere in pristinis induciarum conditionibus donec tempus et occasio se offerat gratificandi regie Majestati sue, et sua omnia ex voto magis componendi suo, preferatque ut est sapientissimus et christianissimus negotium fidei et religionis rebus longe minoris momenti. Et ab Turci perfidissimi et omnium christianorum principum truculentissimus hostis fraudibus omnes suos cogitatus avertat; quoniam non potest ulla haberi cum eo practica, que periculosa et mortifera non sit.

Videbit idem orator et sentiet cum effectu quando erit in curia quale studium haberemus habeamusque rerum Serenissimi

domini Regis, religione sanctitate et in nos benivolentia et amore illam semper fecimus, facturique perpetuo sumus existimationem quam sue pereximie et regie exigunt condiciones, et multa magnaque in nos merita exigunt.

De parte 170.
De non 0.
Non linceri 0.

(*Archivio di Stato Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 120.

LXXII.

MCCCCLXXVI. die X. Januarii (more veneto).

Quod Oratori Serenissimi domini regis Polonie nonnulla replicanti circa utrumque Tartarorum scilicet et indutiarum in hunc modum debeat.

Quod in utroque negotio ab illius Magnificencia proposito erimus breviores quoniam satis distincte duplici nostra responsione ei declaravimus nostram opinionem et mentem. Et quantum ad Tartaros pertinet de quorum adventu id existimamus que regia Maiestas existimavit, scribemus nihilominus ad nostrum Secretarium in Polana iuxta eiusdem oratoris memoramentum ut omnia agat circa practicam illam cum scientia regie Maiestatis vacetque omni circumspectione et solertia ad declinandum et fugiendum omne periculum et incomodum quod a practica ipsa statui regio suisque subditis posset obvenire, tamen incolumitatem gloriam et exaltationem non secus ac proprium reputamus.

De indutiis prorogandis Magnificencie sue omnia declaravimus que per nos singulari studio procurata sunt, et assidue procurantur. Et cognitis per illius expositionem illis duobus articulis cum quibus posset prorogatio indutiarum admitti et firmari operam dabimus ut orator noster, preter generalem et consuetam suasionem et solicitudinem adhibitam memoret etiam dextro et convenienti modo querat et indefesse procuret et instet nomine nostro ut in utroque regie Sublimitatis Polonie mos geratur. Videlicet oratoris nostri operationem et studium, ora-

tor ipse cum in curia fuerit et manibus tanget, et nostram in regiam Sublimitatem benivolentiam existimationem et cultum. Et confidenter poterit Magnificencia sua ea conferre cum oratore nostro si ita ei videbitur que nobiscum contulit, quoniam totum erit apud ipsum nostrum oratorem secretissimum. Et nihil ab eo fiet quod regie dignitati et utilitati non conveniat. Longeque melius longeque dilucidius in curia poterit quecunque necessaria cognoscere et utilius etiam agere quam hic. Hec nobis visa sunt subiungere Magnificencie sue ad mentis nostre perfectam explicationem maioremque satisfactionem sui.

Et ex nunc captum sit quod in curiam ad oratorem nostrum scribatur in effectum suprascriptum, quantum ad inducias pertinet.

Ad Ioannem Baptistam quantum ad materiam Tartarorum in illa forma que collegio videbitur conveniens effectui predicto.

Et similiter respondeatur Emanueli ut suadeat prosecutionem illius impresie.

Emanueli autem remittantur ducati 200 pro suis impresis qui accipiantur de omni loco et officio unde prius et citius haberi poterit.

De parte 149.
De non 1.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, Reg. 27 c. 123.

LXXIII.

MCCCCLXXVI. die X. Januarii (more veneto).

Hemanueli Gerardo Secretario nostro in Moldavia.

Litteris oratoris nostri ex Hungaria, et subinde tuis intelleximus felicissimus successus rerum Valachie, expulsionem scilicet bazarab, et adeptionem regni et provincie factam per Illustrissimum dominum Ladislaum Draculiam, quo nuntio nullum letiorem jocundioremque accipere potuissemus, quoniam ad salutem re-

rum cristianarum maiorem immodum accomodatam hujusmodi victoriam et adeptionem existimamus. Laudamus curam studium et diligentiam tuam. Et volumus tibique imperamus ut cum Illmo Vayvoda Stefano gratuleris nomine nostro cum illis melioribus et amplioribus verbis, que tibi videantur ad materiam convenientia. Hoc idem facias cum Magnifico Ladislao Dragulia, et Magnifico Stefano Bator, et aliis Capitaneis et dominis participibus huius glorie cum quibus contingerit te commode reperiri servato decoro cum unoquoque et habita ratione dignitatis gradus conditionum et meritorum uniuscujusque cum honorifica semper mentione regie Maiestatis Hungarie horteris subinde persuadeas et inflames ad prosecutionem victorie, que illis non potest non esse paratissima et certissima si bonam inter concordiam benivolentiam et intelligentiam servaverint, ad quam rem tu omni tuo studio cura et solicitudine invigila et incumbe. Memoraque et promitte eis non defuturum divinum et humanum etiam auxilium: Deus enim omnipotens qui primo conflictu cum Bassa Romanie tam gloriosam victoriam dedit Illmo Stefano: Et ab tanto impetu et furore anno presenti Excellentia eius liberavit et conservavit. Nunc vero Ill^um Ladislaum in veterem suam restituit dominationem cum tanta ipsorum omnium gloria et triumpho, non est deserturus milites et athletas suos sed conservaturus potius et aucturus omnes felicitates, et hostem tandem acerrimum et invisum conculcaturus et penitus extincturus. Christiani autem reges et principes, tantam in ducibus et bellatoribus illis virtutem et constantiam videntes, concurrent omnibus viribus in eorum auxilium et in communis pestis et incendii extinctionem. Tu partes istas explica et exagera quantum copiosa materia per se decet et patitur.

Illustrissimo autem Stefano seorsum declara, nos curam jampridem suscepisse commodorum honoris et rerum omnium suarum. Et cum pontifice maximo esse operatos et obtinuisse ut crutiata in illis partibus pro suo favore publicetur et Jobileum concedatur, super quibus rebus bulle jam ordinate erant, que solicitantur per nostrum oratorem in curia agentem, et mittentur evestigio ad Excellentiam suam. Querimus etiam, et assidue queritabimus ut de pecuniis deliberate contributionis

beatitudine antedicta Excellentie sue subveniat sicque Sanctitatem ipsam facturam non dubitamus. Esto igitur bono et constanti corde et magnanimum servet propositum et voluntatem contra inimicum, quoniam in dies magis status et gloria amplificabitur sua. Et nos pro nostra virili, rebus favebimus Excellentie sue studiosissime et indefesse. Tu huiusmodi partes amplificato optimis verbis, et assidue scribito quecunque de novo emerserint. Sed quoniam semper manendo zuzanie vel in proximis locis male poteris ea facere, que necessaria sunt, et negotia illa ex auditu dumtaxat intelligere qui est visu incertior: propterea confer te ad illa loca ubi assidue cum eodem Illmo Stefano esse possis, sicut per tuam commissionem et per alias nostras literas tibi iniunximus et replicavimus.

Rem illam Tartarorum non perfecte intelleximus, sed presertim, quenam illa potentia sit magni scilicet Imperatoris an illius, qui circa Caffam imperare consuevit, et quomodo se intelligit cum Stefano Vayvoda, cui anno superiori sunt adversati, et propterea rem illam tu penitus cognoscere procurato, et distinctiorem nobis dato noticiam, declaratoque ultra dispositionem, eorum numerum etiam et cetera, quasque conditiones suas ut quid in re illa sperandum sit intelligere valeamus.

Remisimus Oratori nostro in Hungaria ducatos ducentos auri in tuum nomen, ut per eundem nostrum oratorem remittantur ad te pro tuis impensis cum stricta impositione ut celeriter illos remittat, et nullam penitus partem retineat; sicque non dubitamus eundem oratorem facturum esse, et tu si forte tardasset ex aliqua difficultate procura illos habere.

Datum die XV. Ianuarii 1476.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 123 t.

LXXIV.

MCCCCLXXVI. die X. Ianuarii. (m. v.)

Ioanni Baptiste Trivisano Secretario nostro in Polonia.

Intelleximus tuis literis discessum a te oratoris Tartarorum et missionem illius nuntii cum eo, et cetera, que ad nos scripsisti nec non, que cum regia Maiestate Polonie egeras in executionem mandatorum nostrorum et omnia laudamus. Venit autem nuper ad nostram presentiam Calimachus orator istius Serenissimi domini regis Polonie, quem honorifice excepimus et tractamus: Et ad propositum practice tue multa exposuit de illius difficultate et quodamodo impossibilitate: et de periculis, que possent ex ea regio statui accidere, sicut te non latere certo scimus, quoniam tamen huiusmodi habitum sermonem non dubitamus. Nos autem eidem oratori ter respondimus, quoniam ter melius declarari petiit sicut ex inclusis ipsorum nostrorum responsionum exemplis videbis. Nescimus, quod tu de re illa ad istarum receptionem novi habueris vel per reditum nuntii tui vel aliter de progressibus Imperatoris Tartarorum et de sua dispositione. Sed ab Emanuele Gerardo nuperime ex Moldavia sumus facti certiores Tartaros confiniis Vayvode Stefani adhesisse reputatos amicos et expectatos ab eodem Stefano, sicut per inclusum exemplum literarum quas idem Vayvoda ad Emanuelem scribit inspicies: et nobis etiam incertum est, quenam sit illa gens, magni scilicet Imperatoris, an que circa Caffam demorari solet: sed quecunque illa sit, et quomodocunque succedat practica tua, non videtur nobis ut deserenda illa sit, sed conservanda potius ad reputationem saltem, quando etiam effectus aliquis sequi non deberet. Sed cum omni dexteritate et commoditate et cum scientia regie Maiestatis tu actiones tuas moderare et guberna, et omnia querito studeto et efficito que grata Celsitudini regie fore intellexeris, et ab omni suo, suorumque subditorum periculo et incomodo longinqua et aliena: ut et in tua expressum commissionem veniant etiam amici Serenissimi domini regis et omnium amicorum nostrorum: Sin venturi non sunt practica etiam secum nullo modo rebus regie

Sublimitati nocere possit. Tu hanc omnem nostram intentionem et mentem regie Maiestati declarato quam intelliges ex forma istorum mandatorum nostrorum, et ex forma etiam responsionum factarum Calimacho oratori suo: Et esto in scribendo ad nos diligentissimus, quoniam verisimile nobis fit, ut ad istorum receptionem responsionem ab Imperatore Tartarorum receperis: et tibi nota iam esse debeat, quecumque spes haberi illinc possit, et scribito etiam et declarato que gens est illa que confiniis Vayvode Stefani facta est propinqua, qui numerus, qui dominus, que intentio et voluntas eorum: et cetera omnia nobis explica que digna sint nostra noticia. Declara etiam quantum circa recuperationem donorum fueris operatus et quod sperandum faciendumve in re illa sit.

Venit ad nostram presentiam ille dominus Georgius Gastaldus prepositus etc., qui tibi mutuavit ducatos 270, dum redires ex Sithia cum oratore Imperatoris Tartarorum et ostenso tuo Cyrographo et literis, quas ad nos scripseras testificantes te accepisse pecunias predictas, eas evestigio solvi fecimus: et insuper blandeque eum sumus allocuti et munusculo hornatum dimisum ut suum in curiam constitutum iter prosequatur. Hoc tibi declaratum volumus, ne amplius pecunie predicte a te per fratrem eiusdem domini Georgii, aut per aliam ignorationem forte facte solutionis peti possint, et si peterentur valeas respondere.

XV. Ianuarii 1476.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 124.

LXXV.

MCCCCLXXVI. die X. Ianuarii (more veneto).

Oratori nostro in Hungaria.

Postreme quas a vobis accepimus sunt dierum quatuor et quinti mensis elapsi, et ab harum mentione incepimus quoniam letiores iocundioresque nobis fuere nuntiatione felicium successuum rerum Valachie, pro quibus cum regia Maiestate nostro-

nomine etiam atque etiam gratulemini; quod quanto id feceritis copiosius et affectuosius tanto gratius nobis erit: quoniam non potest ulla prosperitas accedere rebus regie Sublimitatis que rebus non accidat christianis et consequenter nostris propriis et publico respectu, et particulari nostra cum regia Celsitudine amicicia et coniunctione. Horteminique cum gratulatione regiam Sublimitatem ad prosequendas victorias et in illis partibus ubi tanta ei affulsit felicitas et in partibus inferioribus ubi etiam non deseret deus rem propriam. Ad hanc partem quoniam et tempus et occasio nobis mirifice inservit consueta vestra dexteritate, et aptitudine memorate regie Sublimitatis. Id quod ipsa nihilominus optime et meminit et pro importantia librat; appropinquare scilicet terminum induciarum cum Serenissimo domino rege Polonie, que si faciende fuerunt rerum christianarum causa, nunc multo magis prorogande et confirmande sunt, ne regia Sublimitas sua vires cogatur avocare suas ab expeditione christiana, quoniam id esset solum cum perturbatione et confusione rerum omnium, sed cum manifesto discrimine status regie Sublimitatis et consequenter totius christianitatis; et propterea vos nostro nomine quanto potestis efficacius persuadete ut regia Sublimitas animum inducat et propositum firmet prorogandarum induciarum predictarum, et non desinat pro aliqua parva vel etiam si plusquam mediocris causa intercederet, quoniam nulla tam magna esse potest ut cum christiana habeat comparationem. Et quod dicimus de treuguis cum Polonia et Boemia, dicimus etiam cum Imperatore, ut regia Sublimitas sua libera sit ab omni alia occupatione.

Petiistis a nobis nomine regio ut Maiestatem suam faceremus certiorem de conclusione Rome facta, quod nos nulla alia obmisimus ratione, nisi quoniam compertum habebamus regiam Sublimitatem illam eandem a Summo pontifice notitiam habuisse, quam nos habuimus tam de quantitate pecuniarum quam de modo illas distribuendi. Quantitas est ducatorum 160 m. circiter. Modus distribuendi repositus est in arbitrio pontificis. Ubi maior urgeat rerum christianarum necessitas aut utilitas proveniat maior. Hoc servit plurimum ad propositum suadendarum induciarum et aptamenti suprascripti: quoniam certum est quod

incompositis illis rebus necessitas aut utilitas non videretur afferri posse per impresiam regie Sublimitatis christianis negotiis, sed potius principes contributuri in aliquam deducerentur dubitationem removendam ex mentibus uniuscuiusque. Utimini igitur hac ratione et respectu ad persuadendas indutias antedictas, ad ceteras multas alias causas et respectus que judicio nostro Maiestatem predictam persuadere penitus et inducere debeant: Cui affirmate nos diligentissimam et indefessam operam daturos; ut pecunie constitute cumulentur, et presto esse possint ad subventionem rerum christianarum, quarum importantiam et necessitatem ex temporis angustia, et ex magnitudine virium hostis optime intelligimus.

Vestris literis diei XXIIII mensis elapsi nobis declarastis verba quibus vobiscum usus est iste Serenissimus dominus rex circa mala incomoda, et damna ex rapinis et violentiis nostrorum subditorum Crovatie et Dalmatie vicissim illata aptanda et componenda, pro quibus alias regia Sublimitas suos misit oratores, qui etsi fuerint singulares et prestantes viri, non tamen visi sunt nobis venisse ad componendas differentias inter subditos ortas et causatas ex mutuis offensionibus; sed ad illas augendas potius, et difficultandam omnem compositionem et aptamentum: Factis enim nonnullis excessivis et enormibus petitionibus; alienisque ab omni proposita materia et necessitate, que fuit et est dumtaxat emendandorum damnorum utrinque inter subditos illatorum et modi adhibendi ut quietius vivant, discessere omni penitus infecta re: et ut absurditatem petitionum predictarum intelligatis illarum exemplum vobis mittimus presentibus introclusum: Nos autem post eorum discessum nostrum revocavimus oratorem, qui etsi iuvenis prudentia tamen preditus gravis et bene moratus nobilis est, missusque a nobis animo certe et intentione omnia pacifice componendi et tollendi omnem materiam rapine et discidii inter subditos utriusque nostrum: Et eiusdem sumus propositi et desiderii; et sicut regia Sublimitas nosque unitissimi sumus in rebus maximis ut importantissimis: ita videantur et sint subditi inter se nostri. Et contenti paratique sumus ad partes illas mittere oratorem nostrum, qui una cum nostris rectoribus in quorum ditionibus commisse sunt

rapine et damna subditis eis commissis illata, de loco in locum aptent et cum oratoribus regie Sublimitatis amicalibiter et pacifice cuncta componant: Et ubi totum in promptu et evestigio restitui et emendari non possit, emendetur saltem illa pars, que possibilis sit, cum aptitudine tempore et modo. Et imposterum alteri cum alteris pacate amice atque adeo concorditer et unite conversentur et vivant. Et de tempore quo regia Sublimitas suos mittere statuerit nos advisate, quoniam nos nostrum quoque mittemus qui eodem tempore cum regiis conveniat.

De parte 171.
De non 2.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 124.

LXXVI.

MCCCCLXXVI. die X. Ianuarii (more veneto).

Oratori nostro in Hungaria.

Postquam litteras presentibus alligatas expedivimus binas accepimus litteras unas quas solus, alteras quas cum collega scribitis: ad has postremas aliud non respondebimus, quoniam absolutas iam existimamus esse solenitates incoronationis regine: et nuptiarum circa quas vos functi eritis officio prudentium oratorum laudando honorando et congratulando. Ad alteras vero quas solus scribitis et sunt diei VII. mensis elapsi respondemus in hunc modum singularem sensisse leticiam ex felicibus rerum Valachie successibus, quoniam mirifice accomodatos illos existimamus rei christiane: sed sunt negotia et impresia illa sustinenda, et corroboranda, atque adeo prosequenda et augenda in favorem comunis boni, et in hostis incomodum quod plurifariam fieri potest; et non minus augebitur ille favor altera impresia et expeditione regie Sublimitatis contra Smedrevum et alia loca Turcho supposita quam virium ad illam partem additamento: Et propterea vos aggressionem et expeditionem antedictam iam dispositam et paratam ut scribitis, solicitate nunc

maxime, quando perfecta omnia credimus que regia Sublimitas occupata in suis faustis nuptiis tenuere: ut ubi maior futura sit vel necessitas vel utilitas rerum christianarum contra comunem hostem apud quemquam nulla possit amplius esse dubitatio.

Consideravimus id quod inter cetera scribitis de oratoribus polonis et de suo istuc adventu, causa et recessu; et modum vobiscum servatum artificiosum, vestramque prudentiam et dexteritatem in vero eliciendo. Consideravimus etiam prosecutionem belli Imperatorii contra illos australes: Et dubitamus quod maius illinc proventurum scandalum sit quam appareat, et dissimulet regia Maiestas propterea volumus et vobis mandamus ut regie Celsitudini predicte suadeatis iterum atque iterum prorogationem indutiarum et aptamentum illarum rerum omnium, tum cum utroque rege Polonie scilicet et Boemie quam cum Imperatore, ut regia ipsa Maiestas liberior sit ad christianam propugnationem; Et Summus Pontifex reliquique potentatus contributuri, omni careant dubitatione, que eis ex appropinquatione termini indutiarum cum Polonia et motum Imperatoris ingeneraretur: Est ex omnium mentibus removenda omni studio ab regia Sublimitate Removeri autem nulla cerciori via potest quam indutiarum firmamento et aptamento rerum predictarum, circa quas replicabimus illud idem alteris literis tetigimus, ne scilicet regia Sublimitas ab ipsarum indutiarum prorogatione aliqua causa, sive difficultate desistat, quoniam ceteri omnes respectus et cause sunt re christiana et persancta gloriosaque sua expeditione et impresia longe inferiores. Duo igitur hec vos indefesse persuadete et solicitate impresiam scilicet designatam et paratam in partibus inferioribus et supra scriptam prorogationem et pacificationem: de qua ut omnia intelligatis opportune et efficaciter scripsimus ad nostrum oratorem in curia; et non dubitamus Summum pontificem operam diligentissimam daturum per illam viam et modum quem iudicaverit celeriorem et efficatiorem, ut indutie predicte penitus prorogentur, et tollatur omnis ex illo latere difficultas et periculum. Sed, ut sepius diximus vestrum sit muneris et assidue instantie et operationis ut res hec locum et effectum votivum et celerem sor-

tiatur: Et diligentissimus estote in cuncta pervestigando, nobisque rerum veritatem, quam unice cupimus intelligere, scribendo et declarando.

Si vir nobilis Bertucius Gabriel hic fuerit ad istarum receptionem, secum omnia comunicate, et simul cum eo exequimini.

Remittimus vobis ducatos ducentos auri, quos volumus remittatis Hemanueli Gerardo Secretario nostro in Moldavia pro suis impensis, cuius indigentiam et necessitatem maximam esse, ex literis suis didicimus. Quapropter omni studio et diligentia vestra procurate, ut ad illius manus per viam tutam et celerem suprascripta quantitas ducatorum CC. sine nimia temporis interpositione perveniat: Nec de illis partem aliquam pro commodis vestris retineatis, sed integram summam remittite, quoniam vobis qui proximior estis facilius de pecuniis providere pro usu vestro poterimus, quam Hemanueli predicto in remotioribus partibus constituto.

De parte	171.
De non	2.
Non sinceri	0.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 125.

LXXVII.

MCCCCLXXVI. die XXI. Ianuarii (more veneto).

Reverendus dominus Thomas de Cilia Orator Serenissimi domini Imperatoris commemoratis conditionibus rerum cristianarum in quibus labores omnes desumpti, et facte impense et terra et mari inutiles fuerunt et inefficaces: et nisi aliter provideatur dubitandum erat de manifesto periculo et ruina; quoniam vires hostis in dies magis crescunt et illius augentur conditiones; cristianorum autem minuuntur; subiunxit, quod in dieta ratisponensi conclusum tandem fuerat quod non sortientibus effectum provisionibus in ea propositis et ordinatis Summus pontifex contentaretur ut intra annum vocaretur concilium, sive conventus universalis, ubi interveniret Sanctitas Sua, Imperatoria Maiestas

et ceteri deinceps principes et potentatus cristiani pro deliberandis necessariis ad salutem rerum provisurum; de quo nihil factum est, et tamen hostis in dies magis crassabatur et seviebat. Solicita igitur regia Sublimitas universalis salutis et liberationis necessarium arbitrabatur, et ad hunc finem orator ipse in Curiam proficiscebatur ut huiusmodi conventus principum christianorum vocaretur in quo interesset Summus pontifex, ipsa Cesarea Maiestas, et reliqui principes; hortatusque est dominium ut huic tam salutari rei favorem suum prestare velit, tam cum pontifice quam aliter ut huiusmodi conventus locum haberet ut prospici possit non solum ad propugnationem rerum christianarum sed ad hostis extinctionem.

Habuit deinde mentionem de particulari interim dum de generalibus agatur provisionibus adhibendo remedio adversus excursiones et infestationes, quas Turci faciunt in ditiones et loca Imperatoria nostra et aliorum, ad quam rem ipse pro sua parte est bene dispositus et promptus, hortatusque est dominium ex parte sua idem faciat.

Tertio dixit de infestationibus Comitum Croatie contra subditos Imperatorios, qui monendi sint ad pacifice vivendum et desistendum ab invasionibus et malis. Postremo de differentiis nostrorum hominum cum suis in pluribus locis tam Hystrie quam patrie Fori Julii, que suspense teneantur citra omnem novitatem, donec per partes mittantur oratores et compositores omnium earum: Et quod Maiestas sua in tempore commodiori prompta est mittere; et hoc idem faciat dominium etc. Oratori igitur predicto respondeatur in hunc modum.

Quecumque nobis exposuit Magnificencia sua de periculosis conditionibus rerum christianarum verissima sunt, et nobis iam pridem explorata et cognita, in tantum ut earum recordatio non potest nobis non esse molestissima; non quia molestus fuerit nobis sermo et expositio eiusdem oratoris, imo gratissima et acceptissima illa fuit, et propter christianissimam Imperatorie Maiestatis mentem et dispositionem, et propter verborum eiusdem oratoris copiam elegantiam et aptitudinem singularem, ut in audiendo illo plurimum senserimus jocunditatis. Sed preteriti

nostri multifariam in cassum suscepti labores et mala christianorum non possunt, dum recordamur non esse nobis molestissima. Vetus autem cura, et diuturnum studium nostrum, ut tante calamitati quantam fidei et religioni, atque adeo saluti et libertati unius cuiusque iminere cognoscimus occurratur: universo christiano orbi est manifesta multis nostris operationibus; sed bello presertim quod adversus potentissimum hostem annis ab hinc XIIII. sumptum maximis laboribus impensis status nostri detrimento et periculo maiori soli propemodum sustinemus: de quo plura non dicemus; ne, ubi non est rebus profuturum simus longiores. Sed hoc unum fuisse scilicet et esse id rebus christianis ut necessarium ita utilissimum. Everso enim post multa alia regna christiana regno Bossine, in Germaniam hostis et in Italiam potentissimus penetrasset, nisi nos illum bello divertissemus nostro, diversumque tenuissemus et aliis implicavissemus curis et laboribus etiam cum infidelibus principibus; Et tamen quando tantum sumus aggressi negotium non eramus nescii magnitudinis virium hostis supra nostras incomparabilis, sed id fecimus pie, religiose et necessarie. sperantes christianos principes comuni rei non defuturos, quos assidue vocavimus monuimus requisivimus supplicavimus quibus erat supplicandum, instetimus literis nuntiis oratoribus, nihil tandem omissimus et opportuni et importuni ut rei christiane prodesse possemus. Testis est omnium maximus et locupletissimus Imperatoria Maiestas que et penes se ante dietam ratisponensem et in ipsa dieta nostros habuit oratores: Et ubi in generali promovere non potuimus fecimus in particulari quicquid nostrarum fuit virium et facultatum; eiusdem sumus impresentiarum propositi et voluntatis futurique perpetuo sumus.

Ad res igitur propositas dicimus in hunc modum; non posse nos pro meritis laudare Imperatoriam Celsitudinem de paterna illius cura et studio quod tantum esse non potest, quantum rei magnitudo non exigat conveniatque Imperatorio muneri et dignitati. Et quantum ad nos attinet prompti et parati sumus ad utrumque propositum et memoratum remedium tam generalis conventus quam particularis interim propugnationis christianorum adversus solitas Turcorum incursiones. Et ut distinctius in

utroque loquamur, profecturus est orator ipse in curiam: tentabit cum illic fuerit pontificis mentem, et intelliget Sanctitatis sue, et Cardinalium dispositionem. Nos illic nostrum habemus oratorem rerum christianarum causa, per quem pomptitudinem nostram claram testatam omni tempore faciemus: Et si conveniendum fuerit, non erimus postremi, si operandum non secundi, quippe qui cessantibus reliquis sumús in iam pridem incepto motu et agitatione. Hec nobis memorandum impresentiarum occurrit, quod frequenter memorare solemus, et magis necessarium hoc tempore id fore existimamus ut omnis mora et cunctatiosu pprimatur celeriterque oppituletur rei christiane labenti et periclitanti urgente potentissimo inimico, et non obmittente, aut deferente quamcumque opprimendorum christianorum occasionem. Suadeat igitur idem orator et in curia cum illic fuerit et Imperatorie Celsitudini per litteras, ut ante ipsum conventum succurratur rei christiane. Et in ipso convocando, et semper atque assidue, ut hostis oppugnare nititur, ita a christianis principibus suis interse compositis controversiis propugnetur fides religio ipsaque salus et libertas uniuscuiusque: Nihil enim habet res christiana magis mortiferum et exitiale quam in omni adhibenda provisione incredibilis longitudo, et interpositio temporis.

De particularibus interim remediis adversus Turcorum excursiones et depopulationes hoc idem dicimus: non solum esse ad resistendum dispositos et paratos, sed in ipso resistentie actu. tenemus enim ad confinia nostra bonum copiarum numerum equestrium et pedestrium. Et utinam per conditiones passuum et locorum potuisset possentque copie ipse nostre subsidio esse subditis Imperatorie Celsitudinis, quando ab Turcis vexati sunt: quoniam id fecissent plusquam libentissime. Sumus denique ad omnem bonam inter nos intelligentiam pro suprascripta comuni et mutua subditorum propugnatione et conservatione dispositi et parati. Et fore speramus ut si ex parte Imperatorie Maiestatis tantumde bonarum copiarum constituetur et tenebitur in suis confinibus, que cum nostris bonam habeat intelligentiam et unite concurrant in comunem defensionem cessature sint huiusmodi depopulationes et prede quas hostes securrissimi nemine omnino contradicente faciunt.

De Comitibus Crovatie sunt Comites illi sicut Imperatoria Celsitudo non latere arbitramur subditi regie Maiestatis Hungarie, et nullam nobis faciunt aut habent subiectionem: Sed nihilominus intuitu Imperatorie Maiestatis et rei christiane causa parati sumus omnem nostram interponere operam, hortari suadere, et omnia facere que convenienter facere valemus, ut inter christianos desistatur a mutuis vulneribus et offensionibus, quando ab hostibus inflicta assidue vulnera sufficere possunt ad omnium cladem et calamitatem.

De differentiis subditorum Imperatorie Sublimitatis cum nostris subditis, cupidi semper fuimus et studiosi ut ubique tollerentur et componerentur; et plures misimus oratores et compositores, et sumus mittendi ut omnia remaneant in presentibus terminis et suspensione citra omnem novitatem et turbationem sine preiuditio iurium partium et utriusque earum donec Imperatoria ipsa Maiestas suos mittat compositores, et nos nostros mittemus ut omnia aptentur, et componantur: vivantque comunes subditi inter se eadem benivolentia et dilectione, qua nos Imperatoria Maiestas prosequitur, et nos Imperatoriam Celsitudinem colimus et veneramur.

De parte 147.
De non 1.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 125.

LXXVIII.

MCCCCLXXVI. die XXI. Ianuarii (more veneto).

Ser. Antonio Victuri militi oratori in Hungaria.

Nunc nunc vestras accepimus literas dierum IIII, V et VII instantis, quibus omnia nobis denotastis, que accidere tam in partibus inferioribus de formidoloso motu Turci, quam in partibus Slesie de fractura induciarum, que omnia alienissima nobis visa sunt ab utilitate rerum christianarum imo periculosa et

exitialia, et non minus forte intestinum dissidium et bellum, quod ortum iam vidimus inter Imperatorem et tres illos reges christianos, quam externam Turci invasionem et oppressionem timuimus ante hac periculum duplicis huius calamitatis. Et propterea studiosi eramus in suadenda pacificatione, et in postulanda a vobis veritate rerum succedentium: et non minus in curia operati sumus pro suprascripta querenda pacificatione et pro substinenda ex omni parte re christiana. Receptis autem postremis literis vestris, que nos maxima perturbatione commoverunt, evestigio in curiam scripsimus et exempla literarum vestrarum misimus ostendenda Summo pontifici pro incendenda et inflammanda beatitudine sua ad procurationem pacificationis illarum discordiarum, et ad exactionem cumulationemque pecuniarum constitutarum, ut presenti rerum necessitati celeriter succurratur. Faciemusque indesinenter omnem instantiam et nihil omittemus, quod possibile sit non secus atque si de proprio statu nostro ageretur. Estote subito cum regia Maiestate, et hanc nostram declarate operationem hortemini et suadete regiam Sublimitatem Suam ad componenda negotia predicta boemica et polonica, et ad attendendum erecto forti et intrepido animo ad propugnationem regii status sui, quoniam sibi non deerit Summus pontifex, non deerimus nos neque alii christiani potentatus. Et de omni successu, que intelligere studiose procurate nos facite frequentibus et celeratissimis literis vestris certiores.

De parte 143.
De non 0.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 127.

LXXIX.

MCCCCLXXVI. die XXI. Ianuarii (more veneto).

Oratori nostro in Curia.

Complures literas vestras accepimus, quarum postreme sunt diei X^{mi}. instantis ad quas copiosiorem responsionem non facie-

mus quoniam ad partem rei christiane satis sufficienter vobis ternis literis nostris scripsimus et super aptamento et pacificatione illorum regum nostram vobis declaravimus opinionem, quam etiam videmus esse Summi pontificis, pergite igitur procurando instando et requirendo, ut aptamento predicto, tanquam fundamento totius negotii modus per Summum pontificem in cuius id manu est apponatur.

Venit ad nostram presentiam Reverendus dominus Thomas de Cilio orator Serenissimi domini Imperatoris venturus in Curiam et ea exposuit, que contineri videbitis in foleo incluso, in quo etiam nostra responsio continetur, quod tamen foleum vos nemini ostendatis, aut aliquam de huiusmodi materia mentionem faciatis, petiit enim orator predictus, ut secreta cuncta teneremus ad apulsum usque suum in curiam, et ad expositionem per se faciendam, sed cuncta voluimus vobis nota esse ad vestram instructionem et doctrinam rerum omnium occurrentium. Estote igitur vigil et attentus et de omni propositione predicti oratoris, deque responsione, que ei fiet; et de Pontificis atque Cardinalium mente et dispositione, nos celerantissime facite certiores: et si quid forte vobis per aliquem diceretur de conventu principum faciendo, vos nostro nomine nihil affirmate de nostra opinione, sed generaliter tanquam ex vobis omnia dicite declarantia nostram bonam intentionem et promptitudinem ad comoda christiana, et scribite ut diximus, et expectate responsum.

Summus pontifex ultra ea que vos scripsistis, scripsit etiam ad nos suadens, ut reconducemus Comitem Carolum. Volumus igitur, ut nactus opportunitatem temporis et loci Beatitudinis sue pro responsione sui brevis dicatis in hunc modum: tenuisse nos ad nostra stipendia longo tempore Comitem Carolum: et tandem convenientes, honestos et necessarios respectus et causas coegisse nos et impulisse ad illius cassationem: et nihilominus pro benignitate nostra sibi constituimus provisionem bene convenientem cum qua non solum comode, sed etiam honorifice vivere potuisset quam ipse renuit. Et hec dixisse sufficiant quantum ad Comitem Carolum nobiscum attinet. De periculo autem turbationis rerum christianarum dicite Sanctitati sue, quod per Dei gratiam Italia est hoc tempore adeo pacificata, adeo unita

et ad pacem et tranquillitatem disposita et animata, ut nullum omnino dubium de Comite Carolo esse possit, imo ne suspicio aut umbra quidem alicius periculi, aliud dicere non est necesse quia plura materia non meretur.

Post scriptas litteras accepimus ab oratoribus nostris ex Hungaria, que nobis visa sunt singularis atque adeo formidolose importantie et momenti, quarum exemplum vobis mittimus presentibus introclusum et volumus, vobisque mandamus ut subito cum Summo pontifice esse debeatis et beatudini sue exempla predicta ostendite et subiungite quod per importantiam rei, tam ex parte Turci, quam ex parte Imperatoris regumque Polonie et Boemie ob fracturam indutiarum visum est nobis expedire istum tabellarium, ut beatitudini sue nota ea sint que accidunt, et illa possit singulari sua sapientia cognito ingentissimo periculo rerum christianarum illas facere cogitationes et illa adhibere remedia que sibi videantur, et quantum fuerit nostri iuditii scribemus per alias nostras. Sed hoc occurrit impresentiarum in tanta trepidatione et motu memorandum, ut beatitudo ipsa per celerem atque adeo festinatissimam missionem legati de latere ad illas partes provideat pacificationi illorum regum, et stabilimento status Serenissimi domini regis Hungarie constituto iuditio nostro in maximo atque urgentissimo periculo ex omni latere, exactionem presertim et cumulationem pecuniarum constitutarum, Sanctitati predicte memorate, suadete atque instate proportionabiliter per omnes potentatus faciendam, ut iuxta exigentiam tam presentem, quam futuram et casus occurrentes succurri rebus christianis possit. Et de omni iuditio atque deliberatione Sanctitatis predicte nos per hunc eundem tabellarium advisate.

De parte 145.
De non 0.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 126.

LXXX.

MCCCCLXXVI. die XIIII. Februarii (more veneto).

Rediere ex Curia ambo Oratores Serenissimi Domini Regis Hungarie: Et circa proposita ab eis in transitu hinc suo distinctius sibi responderi petunt proptérea vadit pars quod eis dicatur in hunc modum.

Deliberasse nos quando in curiam proficiscebantur respondere Magnificenciis suis, et ea breviter memorare, que vera sunt et non solum vera, sed etiam manifesta de laboribus nostris, periculis et impensis iam dudum suscepti cum Turco belli, non tam ut nostra defenderemus que ab eo minime impugnabantur, quam ut aliis favori et auxilio essemus divertentes et occupatum inimicum tenentes, sicut multifariam fecimus facimusque quantum vires sustinent nostre, perspicua etiam nihilominus sunt que studiose et indefesse tentavimus, et quesivimus ut principes christianos ad concordiam inter se et ad comune contra hostem bellum hortaremur et induceremus: Et que sunt in Italia autore et capite Summo pontifice proposita et conclusa, tam super collatione facta pecuniarum decime, quam super generali contributione incepta et perfecta non fuere studiosa opera nostra non solum promittendo, sed cum effectu etiam et prius plusquam ceteri faciendo. Hec cum suis Magnificenciis, ut diximus dum in curiam proficiscebantur, confere constitueramus, nos tandem remittentes ad ea, que particularius erant ab Summo pontifice intellecturi cum quibus postea reversis ad nos et instructis de omni rerum conditione particulari loqui potuissemus: Sed celeritas discessus sui in causa fuit, ut secum loqui super huiusmodi rebus non potuerimus, quas impresentiarum perstrictas, distinctius non enarabimus, ut ad ea deveniamus que magis necessaria videntur ad presentem scilicet rerum statum et ad proximam certamque spem, quam regia Sublimitas capere de Italico subsidio possit in suis necessitatibus: Nos per literas Oratoris nostri ex Hungaria proximis diebus facti certiores de expugnatione bastitarum et de dubitatione, que tunc habebatur ne Turcus vel ad obsidionem Belgradi, vel ad alia damna regni progrederetur, evestigio in curiam scripsimus, et

Summmum pontificem cum universa curia excitare et impellere contendimus ad ferendas suppetias regie Maiestati ubi tandem deliberatum est, ut unus Cardinalis Reverendissimus scilicet dominus Navariensis legatus de latere festinanter veniat ad illas partes et secum deferat bonam pecuniarum contribui deliberatarum partem, expendendam in subsidium et tutamentum rerum christianarum. Qui legatus curam etiam et autoritatem habeat prorogandarum indutiarum et componendarum controversiarum et contentionum cum Imperatore et regibus Polonie et Boemie, ne impedimento ille sint rebus bene gerendis, sicut plurifariam esse possunt, nisi aut pacificentur, aut ad longum differantur tempus, huiusmodi facta est salutaris iuditio nostro deliberatio per Summum pontificem, postquam ipsi ex curia discessere addito ad optimam pontificalem dispositionem, et voluntatem studiosa opera et diligentia nostra, qui regia comoda non secus ac propria semper procuravimus et procuraturi sumus. Verum ut ex huiusmodi deliberatione et ceteris omnibus, que fieri in diem poterunt fructus et beneficium capi possit speratum et necessarium Maiestatem regiam hortatam per ipsos oratores suasam et persuasam esse volumus animum inducat et propositum firmet ad pacificanda negotia omnia tam cum Imperatore, quam cum predictis rebus, ut negotia christiana ex omni parte melius et facilius dirigantur, reddanturque omnes liberiores ad ea peragenda, que pro favore negotiorum predictorum necessaria sint.

Per huiusmodi sermonem et amicissima verba nostra iuncta cum nostris operationibus possunt Magnificencie sue de nostra intentione, quam intelligere petiere, promittere et asseverare regie Celsitudini quecumque ipse de amicissimo et coniunctissimo principe et dominatu sperare aut cupere potest in comuni presertim negotio fidei et religionis proprieque conservationis et salutis adversus comunia pericula.

De parte 145.
De non 1.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 27 c. 132.

LXXXI.

MCCCCLXXVII. die XVII. mensis Martii.

Ser. Iacobo de Medio Oratori nostro in Romana Curia.

Nota est vobis cura et solicitudo nostra rerum omnium christianarum, sed earum presertim, que in utramque partem, mali scilicet et boni magnum habent momentum, sicut habere semper existimavimus provinciam Moldavie, et statum Illustrissimi Vayvode et domini illius. Nota est diligentia et opera per nos adhibita, ut eidem Vayvode subsidium prestaretur: tam de pecuniis decime, quas in Hungariam detulit Episcopus reatinus, quam de pecuniis contributionis: Et tandem contentus fuit Summus pontifex et eidem Vayvode promisit subvenire ei de pecuniis contributionis: idque consensit etiam regia Maiestas Hungarie, dum in Hungaria esset Episcopus Reatinus, qui beatitudini antedicte potest id clarum facere. Nos autem quantum in nobis fuit coram cum oratoribus suprascripti Vayvode, dum apud nos fuere: postea per expositionem Hemanuelis Secretarii nostri, quem una cum predictis oratoribus in Moldaviam misimus: et complures successive ad eum literas nostras studiose quesivimus retinere Vayvodam predictum in devotione et spe, ne cum Turcho partitum caperet; Et quicquid de tempore in tempus de rebus illis accepimus Summo pontifici declaravimus: Nuper vero ab eodem Hemanuele accepimus literas existimatas a nobis quam maxime importantie: quoniam videmus Vayvodam ipsum non solum spei amplius non credere sed in desperatione propemodum esse deductum, sicut per inclusum exemplum intelligetis, et volumus vobisque mandamus, ut receptis presentibus evestigio sitis cum Summo pontifice cui ostenso supradicto exemplo memorate operam et studium antehac per nos adhibitum pro firmando et sustinendo suprascripto Vayvoda processisse a consideratione periculi alicuius magni detrimenti et cladis regni Hungarie, et ceterarum rerum christianarum, quando Vayvoda ipse coactus esset aut viribus Turci succumbere, aut secum capere conditiones et partitum. Est enim status illius porta commodissima ad ingressum et invasionem utriusque regni Polonie scilicet et Hungarie

in partibus transilvanis, claudenda et obstruenda, obstructaque validissime conservanda, adversus rabiem inimici; et per quam ediverso potest status hostilis a christianis faciliter invadi et opprimi. Tante importantie tantique momenti et ponderis est iuditio nostro huiusmodi provincia, ut non soliciti et curiosi esse non possimus de illius conservatione, tam contra Turci vires, quam contra blanditias et artes fraudulentes suas, ne quod vi, et armis assequi in totum non potuit, assequatur aut dolis, aut necessitate aliqua et desperatione predicti Vayvode videntis promissiones ei factas nullum parere effectum: et propterea istas vobis scribendas et istum velocem tabellarium hac sola causa expediendum censuimus, volentes vobisque mandantes, ut harum rerum facta commemoratione et diligenti explicatione Sanctitati predicte suadeatis et efficaciter instetis, ut quanto id facere potest festinantius providere dignetur et mittere ad suprascriptum Vayvodam ad summam usque ducatorum X^M^ ad minus, pro presenti de pecuniis contributionis, quos idem Vayvoda intelligat esse partem promissionis ei facte et argumentum, certumque signum et aram alius etiam auxilii sibi conferendi: et cum hoc effectu scribat etiam ad illum, unum breve et tabellarium aliquem proprium mittat declaretque missionem huiusmodi pecuniarum pro nunc hortetur et persuadeat illum ad perseverandum in bona et religiosa sua dispositione, memoret pericula sibi imminentia magis ex compositione et conditione aliqua cum Turco, quam ex bello; promittat et affirmet se eidem Vayvode de promisso subsidio ultra presentem quantitatem sufficienter opitulaturam, et sint verba brevis huiusmodi tam particularia valida et efficacia, quod sufficiant cum suprascripto bono principio et effectu ad persuadendum Vayvodam predictum et ad tenendum illum ne cum Turco ad aliquam deveniat pacificationem vel concordiam, que esse non posset sine ruina sua, et maxima christianarum rerum calamitate: Hoc facere debet beatitudo ipsa eo promptius et liberalius quo petentibus oratoribus predicti Vayvode, et nobis per medium viri nobilis Antonii Donato militis oratoris nostri intercedentibus et instantibus subveniri predicto Vayvode, tam de pecuniis decime, quam contributionis, beatitudo ipsa excusata prima pecuniarum quantitate ex

decima cumulata promisit ex statuta contributione dare eidem Vayvode conveniens auxilium. Scribat etiam Sanctitas ipsa ad Serenissimum dominum regem Hungarie, hortetur et inducat Maiestatem suam ad scribendum et mittendum quod maiorem haberet efficaciam ad eundem Vayvodam, et ad promittendum illi necessarium subsidium et favorem. Et sit forma scriptionis ad regem, ita particularis et efficax ut illum moveat non solum ad hortamenta danda Vayvode, sed etiam ad effectuale auxilium. Et non expectandum et sperandum, sed etiam conferendum de presenti, ne tardior forte sit omnis provisio, quam exigat vigens necessitas illarum rerum, et terminus pasce prefinitus Hemanueli a suprascripto Vayvoda, sicut ex incluso exemplo videre poteritis.

Et si forte Summus pontifex ad mittendum proprium tabellarium tardior esset, quam importantia negotii exigat, procurate vos habere brevia et illa mittite ad nos, quoniam nos illa mittemus festinantissime.

Ser. Iacobo de Medio Oratori nostro in Curia.

Si Summus pontifex ad partem pecuniarum mittendarum de presenti difficiliorem aut tardiorem se redderet et vellet pro nostris quiescere super forma generali scribendi, et promittere subsidium predictum profectionem legati ad illas partes, vos dicite, quod vicinitas periculi non exigit huiusmodi cunctationem et cum omni studio et efficatia querite et obtinete quod Sanctitas ipsa de suprascripta quantitate de presenti provideat ut Vayvodam immediate certificet plus brevi et postea successive atque immediate ipso effectu mittendarum pecuniarum; Et si beatitudo predicta vobis respondere, ut nos de portione nobis contingente provideremus mitteremusque pro maiori celeritate suprascriptos ducatos X^{m}. dicite quod pro maiori reputatione et beneficio negotii ex omni parte et respectu melius esset ut huiusmodi provisio ab Sanctitate predicta immediate procederet; Sed tamen creditis, quod dominium nostrum cognita beatitudinis sue voluntate illi obsequetur, sed Sanctitas ipsa scribat de hoc et per unum suum breve motu proprio et ex propria consideratione periculorum volens illis occurrere requirat nos ad

exbursationem de presenti predicte quantitatis, mittendeque illius ad eundem Vayvodam: Et si ita Sanctitas ipsa fecerit breve predictum ad nos mittite quod advertite ut videatur a mera Pontificis mente et voluntate non ab opera processisse nostra.

Has autem distinctas ab aliis literis vobis scripsimus ut illas ostendere si fuerit opus valeatis, et liberiorem facere instantiam, quod Summus pontifex provideat ipse de pecuniis si fieri poterit. Istas autem apud vos teneatis: Et tandem non possendo persuadere ut Summus pontifex contributionis predictas pecunias mittat de suis prudenter et caute negotium dirigatis et gubernetis ad effectualem provisionem et missionem de presenti huiusmodi pecuniarum per modum supradictum.

De parte 52—54.

Ser Franciscus Sanuto, Consiliarius
Ser Ioannes Iustiniano, Consiliarius
Ser Franciscus Diedo doctor, Sapiens terre firme

Volunt primam partem litterarum dumtaxat sine additione capituli sive litterarum separatarum mentionem agentium de danda per nos subventionem suprascriptorum ducatorum X^m^. ex nostra portione contributionis.

De parte 64—71.
De non 11.
Non sinceri 6—11.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 28 c. 1.

LXXXII.

MCCCCLXXVII. die XVIII. Martii.

Ioanni Baptiste Trivisano Secretario nostro in Polonia.

Ioannes Baptista. Postreme quas a te accepimus sunt dierum ultimi Decembris X^mi^. et XX^mi^. Ianuarii allatas per Tibaldum tabellarium et omnia cognovimus que scripsisti tam de fuga a Tartaris et reditu ad te suo, Dimitrii nuntii quem ad Imperatorem mittebas et illarum rerum variatis conditionibus, quam

de apparatibus et motibus regis Boemie contra illum Comitem Ioannem in Slesia, unde dubitas quod vires que in dieta illa contra Turchum disposite esse videbantur, tandem non se convertant contra regem Hungarie. Et nos vehementer antehac dubitantes ne sub nomine christiano quecumque consultata et disposita in perniciem tandem convertantur eiusdem nominis et rei christiane per dissidium regum predictorum, diuturnam et vehementem instantiam fecimus cum Summo pontifice, ut inducie prorogentur pro quibus Sanctitas ipsa scripsit ad Imperatorem et ad utrumque regem Polonie et Hungarie, et brevia ad unumquemque missa sunt. Impresentiarum autem illud idem replicat beatitudo predicta plumbatis litteris; et que ad istum Serenissimum dominum regem inscripte sunt mittimus ad te presentibus alligatas. Declaratus est preterea legatus de latere Reverendissimus dominus Cardinalis Navarensis singulari prudentia et probitate dominus venturus cum celeritate ad istas partes, ut indutias firmet et rei christiane consulat et opituletur constitute juditio nostro in aperto discrimine si Serenissimi isti principes in suis discordiis fuerint perseverantes obliti non solum obligationis et debiti sui in fidem et religionem, sed proprie etiam salutis; subiacet enim unusquisque eorum eidem periculo quod manifestius, et proximius unicuique sit, quo dissidentis secum principis christiani vires, magis ab inimico fidei atteruntur et opprimuntur. Est enim comunis hostis potentissimus et astutissimus, et non magis odio unum quam alium habet ex regibus, et potentatibus christianis, sed ad omnium eversionem pari rabie anhelat; huiusmodi moti consideratione et metu, ut qui dies ac noctes nil aliud cogitamus, quam que saluti omnium christianorum conducant operam adhibuimus in curia singularem pro indutiarum predictarum prorogatione et aptamento quarumcunque discordiarum et ab studio et opera nostra provenere littere, et legati dessignatio: In particulari autem quantum honori existimationi et commodis istius Serenissimi domini regis studuerimus vidit et tetigit Spectabilis Calimacus orator Maiestatis predicte quem copiose scripturum, et copiosius relaturum non dubitamus, quando in conspectu regio fuerit. Volumus igitur et tibi mandamus, ut receptis pre-

sentibus te conferas evestigio ad presentiam regie Sublimitatis ubicumque illa fuerit. Et verbis idoneis et convenientibus presentatis litteris pontificiis Maiestati sue ea explices de periculo suo et totius rei christiane, que superius tetigimus, sed tu copiosius te diffunde imponendo illud ante oculos ex magnitudine virium hostis et ex perfidissimo et truculentissimo ingenio eius. Subiunge postea ea que studiose sumus operati et pro universali bono et pro particulari honore et commodo regie Sublimitatis predicte, quorum est certissimus testis orator predictus suus, qui coram nos audivit, et intellexit et in curia expertus est opem et operam oratoris nostri, hortare quantum potes efficatius regiam Sublimitatem suam ad prorogationem indutiarum et ad illarum illibatam observantiam et ad conversionem consiliorum et virium suarum contra communem Christi inimicum. Demum dic Maiestati predicte quod cognito statu rerum Scythicarum, et memores eorum que regia Celsitudo sua nobis per suum oratorem exponi fecit de gentis illius conditionibus contenti fuimus relicto pro nunc cogitatu illo tibi dare licentiam repatriandi quam post rerum omnium predictarum explicationem petito et impetrato ab eadem Maiestate, et cum illius bona venia redeas quanto potes festinantius ad nostram presentiam, informatissimus rerum omnium occurrentium.

Quantum potes solicitato et efficito ut in hoc tuo commeatu et discessu, sive quam maiorem partem potes rerum nostrarum que dirrepte fuerunt in Slesia aut pretium, quod non difficile esse debet per amiciciam nostram, et per regiam auctoritatem, et apud filium regem Boemie cuius nomini et glorie favimus in curia romana, et apud subditos suos, in quorum numero sunt dirreptores predicti; adhibito tu omnem operam et studium et tamen cum eo quod excutere poteris redito ad presentiam nostram, tecumque reportato Jocalia et uniones, de quibus nullam facito demonstrationem pro evadendo omni periculo.

De Jocalibus autem que penes predictum Ioannem Baptistam sunt, detur ille ordo, qui accepta diligenti informatione super maiori securitate reportandorum eorum, aut illic finien-

dorum collegio visus fuerit. Et similiter provideatur per Collegium de pecuniis pro reditu predicti Ioannis Baptiste.

De parte 116.
De non 0.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 28 c. 3.

LXXXIII.

MCCCCLXXVII. die XVIII. Martii.

Ser Antonio Victuri militi Oratori nostro in Hungaria.

Complures accepimus litteras vestras quibus diligenter nos certiores fecistis rerum omnium occurrentium, postreme autem sunt diei XVIIII. proxime elapsi, et cum illis accepimus litteras Hemanuelis Gerardi ex Bressovia, et consyderata importantia provincie et status Illustris Stephani Vayvode non potuimus non moveri dubitantes maximopere de aliquo inconvenienti et precipitio provincie et status predicti, quod secum magnam duceret rebus christianis calamitatem, sed presertim et imprimis statui ipsius Serenissimi domini regis de quo non minus sumus anxii et soliciti quam de proprio statu nostro. Et ab huiusmodi zelo et cura processit omnis operatio et studium nostrum, missio Emanuelis in Moldaviam, et quecunque memoravimus consuluimus quesivimus et operati sumus in favorem suprascripti Vayvode. Meminimus etiam et vos non esse oblitum certo scimus promissionis et consensus regie Maiestatis ut de pecuniis future contributionis subveniretur eidem Vayvode. Receptis igitur litteris suprascripti Emanuelis in curiam, evestigio scripsimus ea omnia nuntiantes Summo pontifici, que dubitanda mirumimmodum nobis videntur, et pro comperto tenemus ad istarum receptionem istic reperiri oratores sive nuntios eiusdem Vayvode et Emanuelem; vosque pro vestra prudentia et dexteritate fuisse operatum quantum bene intelligitis esse opportunum et accommodatum materie, et nostro desiderio. Sed tamen volumus et vobis mandamus, quod evestigio sitis cum

regia Maiestate, cui verbis gravibus et convenientibus memorato pondere rei et commodo atque incommodo, quod statui imprimis atque immediate regie Sublimitati sue et consequenter reliquis christianis potest a conservatione in fide et devotione suprascripti Vayvode accidere, hortamini atque persuadete ut regia Sublimitas oratoribus illius, et eidem ipsi Vayvode per literas et nuntios declaret et affirmet atque promittat favorem et subsidium opportunum et sufficiens, et sit forma verborum et scriptionis tam efficax particularis, et certa quod vayvoda predictus causam habeat removendi omnem cogitatum suum a praticis Turci, et se confirmandi atque perseverandi in pristino proposito et voluntate se contra Turcum conservandi. Et quoniam verba dumtaxat profutura non cognoscerentur suadete regie Sublimitati ut non desynat sive differat prestare eidem Vayvode effectualem favorem ut presenti subventione et sperato auxilio in fide perseveret, cum tanto beneficio, et e converso fuga tanti maleficii quantum ab illius alienatione esset rebus regni istius expectandum. Oratoribus autem sive nuntiis Vayvode vos ostendite omnem benivolentiam curam et studium auxilii et commodorum suorum, declarateque omnes nostras et vestras ex Imperio nostro operationes in favorem et beneficium predicti domini: eosque imbuite amplissima et certissima spe, effectualis auxilii sibi celerantissime atque immediate conferendi per Summum pontificem qui et sponte sua, et opera solicitudineque nostra in commoda et honorem suprascripti Vayvode mirumimmodum propensus et inclinatus est. Et vos ipse scribite etiam ad Vayvodam in hunc eundem effectum hortemini et confirmate illum in optimo suo proposito. Et ubi Emanuel licentiosius quam conveniat loqueretur aut ageret vos eum monete ut prudentius et reservatius agat, suppleteque ad omnia per vestram prudentiam et gravitatem.

Super aptamento controversiarum cum Imperatore et regibus Polonie et Boemie, pluries ad vos scripsimus. Sed quoniam id esse rerum omnium bene gerendarum fundamentum semper sumus arbitrati et arbitramur, non ab re iudicavimus vobis iterum memorare et imponere, ut cum regia Sublimitate operemini studiose et diligenter quod indutie prorogentur etiam

ante adventum legati, ut presentia postea sua controversie predicte tolli facilius possint. Et consequenter ex impensa sperari et consequi possit desyderatus fructus: Et potentatus contribuituri promptiores et faciliores reddantur ad exbursationem quam si incompositas viderint controversias predictas. Alterum enim est rebus benegerendis mirifice conveniens, alterum inconvenientissimum, sicut pluries antehac scripsimus, et regiam Sublimitatem optime intelligere non dubitamus.

Ultra brevia que proximis diebus Summus pontifex scripsit ad Imperatorem et ad regem Polonie et Hungarie super prorogatione indutiarum, scribit etiam plumbatas litteras, et que ad Imperatorem inscripte sunt una cum brevi dirrectivo Episcopo forliviensi mittimus ad vos presentibus alligatas ut vos illas mittatis ubi fuerit Imperatoria Maiestas. Que autem dirriguntur isti Serenissimo domino regi vos ipse presentate. Nam que ad regem Polonie scribuntur misimus nos ad manus Ioannis baptiste per Tibaldum cursorem.

De parte 112.
De non 0.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 28 c. 2 t.

LXXXIV.

MCCCCLXXVII. die XXV. Iunii.

Venit ad presentiam dominii Spectabilis Chalimachus Orator Serenissimi domini regis Polonie ex urbe rediens ad dominum suum et multa narravit de Conditionibus Curie, de qua male edificatus revertitur. Inter cetera autem dixit nihil inde sperandum esse ad pacationem controversiarum, inter christianos principes: Et inter eos presertim quos per vires potentiam et autoritatem sacerdotes timent: huiusmodi enim magis cupiunt, dissidentes et negotiosos quam pacatos et quietos: Et multa alia in hac parte que pretereunda potius sunt. Suasit denique ut nos [illegible] pax aut concordia aliqua inter Imperato-

riam Maiestatem et reges Polonie atque Boemie cum rege Hungarie secutura est velimus ut potius ea fiat interveniente aliqua nostra opera et intercessione, quam sine ea, et quod nobis conciliare queramus amiciciam et intelligentiam aliquam cum predicto Imperatore et duobus regibus, cum quibus coniuncti tamquam perpetuo usque in Poloniam muro, erimus ab omni periculo interno tutiores et contra Turchum robustiores; quoniam compositis rebus cum rege Hungarie facile omnes converterentur contra comunem inimicum. Hec fuit summaria conclusio verborum eius que plura fuere ornata et gravia. Sed priusquam ad istam devenisset partem, plurimum laudavit operam oratoris nostri prestitam sibi in curia cum magno comodo et honore Serenissimi domini sui et persone sue, ob quam gratias ingentes egit dominio et se omnia fideliter relaturum regie Maiestati policitus est: Cui respondeatur incipiendo ab hac que fuit prima illius expositionis pars in hunc modum:

Quod si eum quando in curiam proficiscens nostram adivit presentiam alacriter vidimus et audivimus, et policiti fuimus operam et intercessionem nostram per medium nostri oratoris in curia. Ita impresentiarum audientes quod expertus illam fuerit diligentem et studiosam letamur: et longe magis letaremur si sibi maiori adhuc ea fuisset auxilio et commodo, in cunctis negotiis, que regio nomine tractavit: Et certissimam volumus esse Magnificenciam suam non potuisse nos oratori nostro, tam efficaciter committere, neque ipse tam diligenter procurare et agere: ut desiderio gratificandi regie Maiestati non superaverimus: et nos scribentes et imponentes oratori et ipsum obedientem et exequentem, gravat nos plurimum ut compos votorum omnium regia Sublimitas ad eam non redeat; Et pari modo ut negotia curie, et illorum animi ad commodum rerum christianarum dispositiores non sunt; Et in hac parte aliud non dicemus quoniam tacere officiosius et modestius esse existimamus. Gratiarum autem actio est urbana magis, et modestie sue convenientior quam necessaria; sed bene gratissima est officiosa promissio eius, ut ea regie Celsitudini de amore in se nostro cultu et studio gratificandi ei referat que ipse vidit et cognovit: Et cum explicatione huiusmodi rerum, rogamus etiam

Magnificenciam suam, ut regie Sublimitati nostro nomine gratias agat de humanissima regia exceptione facta de persona nobilis civis nostri Ambrosii Contareno redeuntis oratoris nostri ex Asia, et de multa crebraque significatione cum omnibus nostris oratoribus et nuntiis amoris in nos sui.

Ad suum grave et fidele memoramentum, ut aliquam potius interponamus operam nostram pro componendis discordiis inter Imperatoriam Celsitudinem et illos christianos reges, quam expectemus, ut ipsi per se concordiam ineant etc. Laudamus consilium suum sapiens christianum et nostre etiam bone dispositioni et studiose voluntati conformis: Parati enim et prompti fuissemus et sumus ad omnem operam et interpositionem: quando aut intellexissemus aut intelligeremus id principibus illis gratum esse, sive rebus benegerendis conducibile, nullumque detractaremus laborem pro pacificandis omnibus uniendis persuadendis et inflamandis adversus potentissimum et omnibus formidolosum hostem pro universali cunctorum salute.

Hanc nostram voluntatem et mentem sumus contenti ut Magnificencia sua ubi harum rerum sermo incidat et utile esse possit declaret et affirmet: sicut nos postquam suam audivimus expositionem in Hungariam scribentes declaravimus: Demum nos regie Sublimitati offerat uti honori dignitatique regie sue inservire valeamus. Persone autem sue in hoc suo discessu et profectione offerimus quantum prestare commoditatis possumus.

De parte 154.
De non 1.
Non sinceri 0.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 28 c. 24.

LXXXV.

Beatissime pater et domine clementissime. Etsi sedem sanctam Apostolicam ad occurrendum oppressorum ad eam confugientium, defectibus, ex sui laudabili providentia et beni-

gnitate adeo paratissimam esse certo sciverim ut promocionem cuiuspiam non requirat. Ne tamen Reverendissimi patris domini Silvestri Archiepiscopi Rigensis peticiones, quibus pro iniuria sibi per Magistrum Theutunicorum ordinis sancte Marie in Clivonia non longe acto tempore illata preces meas ad Sanctitatem vestram dari petivit, abycere videar, statui pro eodem Sanctitatem vestram humiliter exorare. Ut Sanctitas vestra attenta hac ipsa eiusque Archiepiscopi iniuria quam is nuncius suus latius perferret sibi, pro sui solita pietate manus adiutrices dignetur porrigere et in quantum phas est adiumento esse.

Date in opido pyotrkoviensi die vicesimasexta Iunii Anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo Nono.

Eiusdem Sanctitatis Vestre devotus filius

Kazimirus dei gratia

Rex Polonie etc.

(*A tergo*). Sanctissimo In christo patri et donno donno Sixto divina providentia Sacro Sancte Romane et universalis Ecclesie Summo pontifici domino reverendissimo.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Atti e Bolle della Curia Romana, Busta 28. Polonia N. 1

LXXXVI.

Beatissime pater et clementissime domine. Post pedum oscula beatorum. Commendacionem humillimam. Datum est michy intelligi. Quod S. V. ecclesiam Plocensem ad presens vacantem ad alciorem taxam, quam consuetum fuit extimare nititur. Et illi duplatam quasi annatam imponere. Ex quo possum facile colligere, idem onus aliis ecclesiis Regni mei impositum augeri debere, presertim Gneznensi vacanti, et Vladislaviensi vacature. Quod ne fiat rogo humiliter S. vestram. Tantum enim iste ecclesie onerate sunt, quod amplius ferre non possunt. Et certum est quod si adhuc plus onerarentur. Possessores earum nec oneribus ecclesie neque etiam publicis, ad que tenentur possent satisfacere. Et ideo iterum rogo, quod in suis antiquis taxis maneant. Alias certa certior debet esse Sanctitas vestra quod non paciar eas elevari eciam si cum

quocumque periculo aut scandalo ecclesia Gnenznensis debeat vacare quantumcumque diu. Sanctitatem vestram tandem valere opto. Ex Vilna XXII. Mensis Februarii Anno domini. Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo.

Eiusdem Sanctitatis vestre

Devotus filius Kazimirus

Rex Polonie.

(*A tergo*). Sanctissimo in christo patri et domino domino Sixto divina providencia Sacrosancte Romane ecclesie Summo pontifici domino colendissimo.

(*Archivio di Stato Venezia*).
Bolle ed atti della Curia Romana Busta 28. Polonia N. 2.

LXXXVII.

Beatissime pater et clementissime domine. Post commendationem et beatorum pedum oscula. Reversus ab Urbe Romana Servitor meus Venerabilis Stanislaus Buschenski canonicus Gneznensis Retulit apud V. Sanctitatem cum litteris meis commendaticiis. Gratiam extendentem se ad tres Collationes et ad tria Beneficia in Regno meo Polonie, dummodo inter illa tria non sint nisi duo reservata obtinuisse. Litterasque desuper eidem mandato V. Sanctitatis gratis Viterbi dum Curiam Vestre Sanctitatis sequeretur per Reverendum patrem dominum L. Grifum Episcopum Eugubinum V. S. Secretarium cui illam ipsam expeditionem V. Sanctitas pro tunc comisit fuisse traditas. Nec alia supplectione agere preterquam apposicione date ad instar date aliarum Gratiarum, que tunc in proximo per S. V. concedende erant, et iamdiucius concesse. Nec non unius sive duarum Regularum cancellarie V. S. in eisdem litteris ommissarum derogatione. Rogo proinde S. V. dignetur predictarum litterarum expedicionem iam semel contemplacione mei per S. vestram concessam una cum supplectione defectuum mandare debito committi effectui. Ita ut ipse servitor meus, michi pro sua virtute bene commendatus tam concessionem V. S. semper firmam et stabilem una et litteras priores meas

ac presentes commendaticias, Sibi apud V. Beatitudinem Senciat proficuas et efficaces. Quod ad singularem gratiam reputabo. Altissimus Deus faciat bene valere S. V. pro felici Statu et Regimine Ecclesie sue Sancte.

Ex Vilna quarta die Aprilis. Anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius Kazimirus

Rex Polonie.

(*A tergo*). Sanctissimo in christo patri et domino domino Sixto divina Providentia Sacrosancte Romane et Universalis Ecclesie Summo Pontifici domino Colendissimo.

(*Archivio di Stato Venezia*).
Bolle ed atti della Curia Romana. Busta 28. Polonia 8.

LXXXVIII.

Beatissime pater et domine clementissime. Mitto ad vestram Beatitudinem Venerabilem Johannem de Targowyska Ecclesie Przemisiensi Electum, et Generosum ac Strenuum Raphaelem de Lyesczno castellanum Spiezimriensem et Capitaneum Lanciciensem Consiliarios meos et Oratores, debitam obedienciam et reverenicam eedem vestre Beatitudini et Sancte Sedi appostolice, prestandi et exibendi aliaque negotia, et quidem urgentissima apud eamdem vestram Beatitudinem agendi et pertractandi. Quibus eadem Beatitudo vestra benignam audienciam in dicendis et plenam credencie fidem prestare dignetur. Quam omnipotens deus felicem et Sanam pro Regimine Ecclesie Sue Sancte et mea singulari consolatione conservari dignetur. Date in civitate nostra Radomiensi Sexta Mensis Ianuarii Anno domini Millesimo quadringentesimo octogesimo sexto.

Eiusdem vestre Beatitudinis

devotissimus filius Kazimirus

Rex Polonie.

(*A tergo*). Sanctissimo in christo patri et domino domino

Innocencio, divina providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici Domino Clementissimo.

(*Archivio di Stato Venezia*).
Bolle ed atti della Curia Romana Busta 28. Polonia 5.

LXXXIX.

MCCCCLXXXVI. die X. mensis Aprilis.

Serenissimo Domino Regi Polonie.

Tabellarius vestre Maiestatis qui nunc urbem nostram applicuit regias litteras die III^a mensis Februarii datas nobis reddidit, quas eo quidem affectu accepimus, et legimus, quem mutuus amor noster atque sincera nostra, in vestram Serenitatem amicitia, et integra benivolentia exposcunt: Nec putamus sapientie regie vestre Celsitudinis difficile sit credere, quod nos tedeat audire, illam aliqua solicitudine agitari, omnis enim labor unius christiani principis, reliquis omnibus christicolis non potest non communis existimari: Quod autem Sublimitas vestra cupiat, ut eam reddamus certiorem, quo tendant Turcorum Imperatoris apparatus, atque illius cogitatus: Profecto de animo et cogitationibus suis, nihil dicere possumus, cum ille nos lateant. Verum sciat Maiestas vestra, nos ab mercatoribus nostris qui degunt Alepi accepisse, in partibus illis exercitum prefati Imperatoris, ad damna Sultani babilonie reperiri: Ultra quem quidem exercitum undique vulgatur et ita affirmatur, eundem Turcorum Imperatorem se se cum aliis suis viribus, adversus dictum Sultanum dirrigere velle: Et id est quicquid de illius rebus intelligere possumus: Quod pro benivolentie nostre officio vestre regie Sublimitati ingenue significandum curavimus, cuius commodo, atque omnis honoris glorie, et felicitatis amplitudinem et incrementum maximopere optamus, ut amicissimum benivolentissimumque principem decet.

De parte 158.
De non 1.
Non sinceri 2.

(*Archivio di Stato di Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 33 c. 4.

XC.

MCCCCLXXXVI. die XXVIIII. Iunii.

Quod Reverendo et Magnificis Oratoribus Cesaree Maiestatis et Serenissimi Regis Polonie, qui ea sub literis credentialibus exposuere, que nunc per Serenissimum dominum Ducem huic consilio sunt relata respondeatur in hunc modum.

Quod superioribus diebus ex corde diximus impresentiarum Senatus decreto repetimus, nos scilicet Reverendissimam dominationem et Magnificencias vestras adeo hylariter videre ut amplius exprimere nequiremus: et merito quidem: Sunt enim legati eorum Serenissimorum principum quorum alterum singulari veneratione cultu et observantia, alterum vero precipuo amoris et benivolentie affectu sumus semper prosecuti, atque omni animi sinceritate prosequimur. Accedit preterea privata ratio cuiuslibet personarum vestrarum quarum nobilitas virtus et prestantes conditiones eiusmodi sunt, que nos compellunt, ut eas affectuose amemus, utraque igitur ratione videlicet publica et privata gratus sane atque jucundus nobis et universo senatui nostro fuit et est adventus vester.

Audivimus et intelleximus omnia que per utramque legationem non minus graviter et prudenter quam ornate et eleganter nomine tam Cesaree, quam regie Maiestatis nec non Serenissimi regis Romanorum nobis exposita fuere: Et gratias ingentes eisdem agimus Maiestatibus pro liberalibus atque munificis factis oblationibus, quas ut paternas et cordiales filiali et grato animo accepimus: Vehementer insuper sumus oblectatione affecti, ob ea que Vestre Magnificencie de sanguinis coniunctione deque sincere amicitie et unionis inter ipsas Maiestates vinculo recensere: Quo nihil jucundius audire possumus cum huiusmodi principium coniunctio admodum rei christiane salutaris sit futura, utque requisitioni facte respondeamus cuius effectus post plura enarrata fuit, ut apud dominum Turcorum agere velimus, quod aut ad pacem, aut ad inducias cum Serenissimo Polonie rege deveniat, dicimus, quod profecto ob veterem amorem qui semper affectuosus nobis cum illius Maie-

state intercessit accedente potissimum Cesaree Celsitudinis atque Serenissimi geniti romanorum regis interventu, quem (ut par est) maximi facimus cupimus non modo salutem et conservationem regni sui, atque illius amplitudinem et incrementum, verum quoque eidem pro nostra virili in cunctis, que nobis possibilia sint gratificari: Quamobrem sumus perlibenter provintiam suscepturi: Qui cum oratorem virum sane prudentem habeamus apud prefatum Turcorum dominum, ei scribemus, et in opportuna atque efficaci forma imponemus, curet rem istam cum ea gravitate proponere, quam ipsius rei conditio exposcit pro dignitate regie Maiestatis. Et superinde agat ac si res propria nostra esset.

De parte 128.
De non 4.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 33 c. 20 t.

XCI.

MCCCCLXXXVI. die III. Iulii.

Quoniam oratores Cesaree Maiestatis et Serenissimi regis Polonie post auditam responsionem eis datam ex deliberatione huius consilii, que pro quanto pertinet ad articulum quod operam dabimus per medium oratoris nostri existentis Constantinopolis circa pacem, aut indutias ineundas inter prefatum regem et Turcum, eis plurimum placuit et grata fuit atque satisfecit, ac gratias nostro domino egerunt, unum alium articulum proposuerunt, videlicet, quod cum ipse Maiestates statuerint esse unite adversus Serenissimum Regem Hungarie et subiunxerint, quod ob animum ipsius regis agitur etiam de comuni re et securitate nostra, horate nos sunt ut advertamus, et velimus Maiestatibus suis adesse auxilio, favori et consilio, super quo requirunt eis declarari intentionem dominii nostri, inferrentes implicite quamquam non ita expressis verbis, quod inter nos fiat intelligentia et confederatio, sicuti per Serenissimum

Principem sapienter nunc est relatum. Vadit pars quod dictis oratoribus, respondeatur in hec verba.

Reverendus pater et Magnifici domini oratores. Intelleximus id quod Reverendissima dominatio et Magnificencie vestre nuperime proposuere, post nostram illis datam responsionem. Et quoniam superinde cupiunt accipere intentionem nostram respondebimus ingenue cum ea synceritate, quam expostulat filialis devotio et vetustissima atque integerima amicitia nostra erga Cesaream Celsitudinem et Serenissimos Romanorum et Polonie reges. Certi igitur reddimur Maiestates ipsas haut latere quod illas sicuti in precedenti responsione diximus ultra precipuam ac singularem Reverenciam syncerissimo quoque amoris et benivolentie affectu prosequimur. Quam quidem benivolentiam eiusmodi esse procul dubio tenete, ut carissima nobis sint quecumque sua commoda, ac omnis statuum et rerum suarum securitas atque felicitas maximopere a nobis optata; nec aliquid delectabilius nobis esset, ex quo maiorem voluptatem et animi satisfactionem conciperemus, quam quod cum gratificatione possemus eisdem Maiestatibus ostendere que sit vera affectio cordis nostri in illas cognoscerent enim, quod sicuti liberaliter fuimus prompti morem gerere prime requisitioni in suscipienda provintia scribendi pro pace aut indutiis cum Turco, ita in cunctis reliquis, que honeste et convenienter per nos fieri possent semper animus noster propensus esset atque paratus. Verum quo ad rem tangentem Hungarie regem dignentur Maiestates sue pro earum sapientia et bonitate considerare, quod cum iam diutissime nobis fuerit pax cum illo, et plurimos annos quiete inter nos vixerimus nulla ab eo nobis offensione illata, putamus Maiestatibus eisdem non ingratam esse debere dicte pacis conservationem, quando maxime Cesarea Maiestas hoc anno periculum de nobis et promptitudine animi nostri fecerit, qui ubi vidimus Hungaricas copias aggredi loca hec sua nobis convicina posthabito quocumque respectu ob affectuosum studium ac ingens desiderium, quo erga ipsam Imperialem Celsitudinem teneamur, ea egimus per que dictorum locorum liberatio secuta est; Obsecramus ideo prefatas Maiestates sint contente, ut ad nullum alium actum deve-

niamus, sed accipiant optimam voluntatem, et perfectissimum animum nostrum, qui intrinsecus erga illa syncerior et affectuosior esse minime posset.

Et quoniam oratores Cesarei seorsum a regiis requisiverunt dum conferrent cum deputatis collegii nostri, quod sicuti dominium nostrum se obtulit scripturum ad oratorem nostrum apud Turcum pro Serenissimo rege Polonie, ita placeat etiam insimul scribere pro Cesarea Celsitudine videlicet pro statu Sue Maiestatis. Ex nunc sit captum, quod eisdem oratoribus cesareis dicatur dominium nostrum ob filialem observantiam in Maiestatem Imperialem esse bene contentum huic requisitioni sue satisfacere, prout in gratificationem quoque sue Maiestatis, et ob illius intercessionem statuit morem gerere predicto Serenissimo domino Regi Polonie sibi coniuncto.

De parte 168.
De non 0.
Non sinceri 2.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 33 c. 21.

XCII.

MCCCCLXXXVI. die XVIIII. Julii.

Summarium informationis date per oratorem Serenissimi domini regis Polonie.

Ringratiamo la Illustrissima Signoria de la opera la se ha offerto ad nostra instantia et richiesta interponer apresto et Signor Turco per mezo del suo Secretario in Constantinopoli per far chel nostro Serenissimo Re obtengi pace over Inducie da quello. Et azo la Illustrissima Signoria sii informata, et possi darne informatione al dicto suo Secretario de le practiche havute tra el Turco et el re nostro, et etiam a che termeni al presente se atrovano li dichiariremo succincte el tuto per piu facilmente condur la materia al optato effecto.

Vivendo el Signor Turco defuncto piu volte, et per piu vie rechiese el nostro Serenissimo re a pace, offerendoli favor

et adiuto de zente over danari per conquistar el regno de Hungaria per uno di suo fioli et el regno de Bohemia per unaltro, cum questo che conquistati dicti regni fra loro se facesse bona perpetua pace; al che dicto re mai volse assentire per non tenir dicti regni sequestrati a non poter occorrendo el bixogno adiutar la christiana religione; teniva pero la cossa in practica scorrendo el tempo per non concitarselo contra, et in queste practiche dicto Signor morite, et successe el presente Signor quale consegliato da i soi che erano etiam stati conseglieri del padre ritorno su la practica, et propose le instesse conditione. Et pur el re scorreva temporizando per el modo predicto et foreno mandati molti messi utrinque: In questo tempo alcuni ribaldi offerseno al Turco furtivamente darli licostomo ne le mano, el qual preso Moncastro e quelli altri luogi che erano sprovisti et sforniti subito seriano in suo dominio, et cusi sequite che el Turco per dicto mezo occupo quelli luogi, al che per el re non se pote proveder si per esser facto ex improviso et insperato, come etiam per esser la persona sua molto lontana et occupata per alcune novita facte da alcuni soi Signori duchi e baroni, i quali poi el fece decapitare; Sedate queste intestine discordie el re preparo gran numero de zente per recuperar quelli Castelli, et interim mando uno suo orator al Turco a dimandar la restitutione de quelli et tractar de pace, et per l'una, o l'altra via era disposto ricuperar li Castelli predicti. In questo mezo Stephano Vayvoda desideroso de haver el suo, non expectata la operatione del oratore, ne li preparamenti regii, assalto cum alcune zente Monchastro, dove ussiti i Turchi erano ala custodia de quello seguite che da poy una strage da luna parte et dalaltra re infecta Stephano convene ritrarse: la qual cossa intesa per el Turco licentio l'orator, et rupe la practica dela pace, cum dir che lera deluso dal re, per che monstrava voler pace, et faceva el loro vassalo molestar isuo luogi et cussi fu dissolta la practica.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 33 c. 23.

XCIII.

MCCCCLXXXVI. die XVIIII. Iulii.

Circumspecto et Sapienti viro Ioanni Dario, fidelissimo Secretario nostro Constantinopoli.

Ioannes. Venere huc ad nos hisce diebus nonnulli oratores Cesaree Maiestatis et Serenissimi Polonie regis, qui post consuetas salutationes et generales oblationes nomine Serenissimorum dominorum suorum, postquam commemoratam veterem amicitiam et benivolentiam illorum in nos exposuerunt inter cetera, quod libenter prefate Maiestates inirent aut pacem, aut indutias cum isto Illustrissimo domino Turco: Sed cum proximo superiori tempore extiterit inter eundem dominum Turcum, et prefatum regem Polonie practica pacis et nullus successerit effectus, que quidem pax bonis verbis per ipsum regem fuit protracta cum aliqua domini Turci alteratione videtur Maiestatibus suis non expedire honori suo, ut ipsi nunc pacem sive inducias requirant. Et ideo declararunt pergratum esse habituros, quod nos tanquam a nobis intercedamus et rem istam proponamus, hortatique sunt velimus provintiam suscipere dicentes, quod si intelligent predictum dominum Turcum esse huic rei dispositum, mittent quamprimum istuc eorum legatos acturos de conditionibus et venturos ad conclusionem. Nos autem, qui ut nosti semper singulari devotione et reverentia Cesaream Celsitudinem et affectuoso amore, ac amicitia Serenissimum regem Polonie sumus prosecuti, non potuimus honeste illis huiusmodi operam nostram negare, ea presertim persuasione moti, quod non sumus ob id facturi rem ingratam domino Turco, Cuius Excellencia arbitramur, quod sicuti inivit inducias cum Serenissimo rege Hungarie, ita fortasse libenter erit contenta inire cum prefatis Maiestatibus. Quamobrem freti virtute et prudentia tua, atque tui ingenii dexteritate obtulimus nos eis, hoc onus tibi imposituros: Et quoniam nobis innotescere voluerunt practicas secutas inter prefatos dominum Turcum et regem ex incluso folio intueri poteris omnem successum, quod quidem non ideo ad te mittimus, ut de illo mentionem ullam facias, sed solum ad

tui informationem: Intelligis igitur desiderium prefatarum Maiestatum quod dicta propositio fieri videatur tanquam a nobis pro honore et dignitate illarum, et ex alia parte volumus te non latere quod sicuti ob amorem ac amicitiam nostram cupimus eisdem Maiestatibus gratificari Ita animus et mens nostra est quod ita caute et cum tali modo et dexteritate res ipsa per te proponatur quod nullam apud dominum Turcum indignationem, aut irritationem concipiamus, et cuperemus etiam, quod ad aliorum noticiam hec nostra intentio non perveniret: Quocirca freti ut diximus tua prudentia et virtute pluriphariam a nobis experta, relinquimus hanc provintiam tibi, qui cum sis super facto et desiderium predictorum Imperatoris et regis, nostramque mentem, et omnia que expediunt probe noscis dirriges propositionem tuam per illum meliorem convenientiorem et tutiorem modum et viam que tibi videbitur: Et quicquid egeris tibique respondebitur curabis quam celerius et festinantius poteris nobis tuis literis notificare: Verum si forte accideret, quod tamen ratio non suadet, quod ob ea, que tibi explorata esse possent cognosceres et intelligeres, quod dicta promotio utcumque per te fieret, omnino alterare aut perturbare haberet mentem et animum prefati domini Turci adversus nos, eo casu nostra intentio est ut desistas potius ab omni promotione et aliquam excusationem honestam capias nobiscum: Et quoniam ipsis Maiestatibus vel illarum oratoribus, quorum aliqui apud nos morabuntur sumus ostensuri successum actionis tue scribes ad nos binas literas in zifra, quarum alteris clare contineatur non solum omnis operatio verum quoque omnis modus et via, que per te fuerit servata atque responsio, quam habueris vel quicquid ea in re egeris. Altere vero sint in tali forma, quod valeamus eas ostendere: Et si rem promoveris videaris omni ex parte gessisse te in hoc negotio cum omni honore et dignitate predictarum Maiestatum. Si vero ob dictum respectum forsitan tibi visum fuerit abstinere a promotione declares ut prediximus equam honestam causam et excusationem. Ita ut in quocumque casu satisfacte de nobis et opera ac intercessione nostra remaneant prout optamus, et in tua virtute ample confidimus.

Et quamvis superius dicamus de utraque Maiestate videlicet Imperiali et regia, nostra tamen intentio est, quod ne una res impediat aliam incipias a propositione prefati regis Polonie si illa promovenda tibi videbitur, qua expedita et optenta, postea subsequeris illam Imperatoris: cuius Maiestas petit inducias pro statu et terris suis hereditariis, si vero non obtineres pro rege, eo casu desistes promovere rem Imperatoris: de cuius Maiestate nullum verbum facies.

De parte 150. die 21 Iulii 1486.
De non 2.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 33 c. 23 t.

XCIV.

MCCCCLXXXVI. die V. Septembris.

Quod Spectabili domino Calimaco Oratori Serenissimi domini regis Polonie, qui dixit deliberasse reverti ad Maiestatem dicti eius domini posteaquam videt mansionem suam hic ob causam pro qua remansit videlicet pro habenda responsione circa mentem domini Turci esse vanam ob discessum illinc fidelissimi Secretarii nostri Ioannis darii Respondeatur ut infra.

Magnifice domine orator: Siamo certi ala Magnificencia vostra esser chiaramente comperto che si come la persona sua e affectuosamente et quidem merito da nui amata, cusi tuto questo tempo lhabiamo veduta molto volentiera, et cum grande piacere, et cusi sempre aliegramente la vedessemo quando lhavesse a restare apresso nui pero che oltra lo publico respecto del Serenissimo Signor re la Maesta del quale nui prosequimo de singular amore et benivolentia; Le conditione de la persona vostra, et la devotione et fede de quella pluriphariam a nui demonstrata la fa degna che lhabiamo per charissimo et devotissimo venitiano nostro et syncerissimamente li siamo affecionati: Ma parendo ala Magnificencia vostra chel demorar piu

longamente qui per la causa per la quale la era rimasta, non e piu de uso de la regia Maesta per la absentia da Constantinopoli del nostro Secretario, et per tanto havere statuito in bona gratia retornarsene ala presentia dela prefata Maesta. Quantunque come habiamo predicto, nui vediamo volentiera la persona vostra, et grata ne sia la stantia sua qui, nientedimeno restemo contenti de ogni sua deliberatione. Havera donque la vostra Magnificencia dechiarire a la regia Maesta la syncerita et prompteza del animo nostro cum renderla ben certa et indubitata del amore et devotione nostra in lei che in vero non potria esser piu syncera, affectuosa ne cordiale. Quanto autem specta ale cosse le quale cum ogni confidentia ce sono sta notificate per la vostra Magnificencia, si come le manifestano et approbano quale sia la fede et devotione sua in nui cusi le accresceno lanimo nostro ad amarla ogni di piu. Rengratiamola per tanto et confortamola che quando la se ritrovera in quelle parte non li sia grave perseverare nel suo degno costume in tenerce advixati de le cosse occorrerano quale la judichera esser degne de nostra noticia pero che molto grato siamo per havere ogni suo fedel avixo. Et ex nunc sit captum quod eidem oratori in hoc suo discessu donetur in signum amoris tantum damaschini eius coloris qui videbitur Collegio, quantum sit pro una veste.

De parte 185.
De non 0.
Non sinceri 1.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Deliberazioni Senato Secreti, reg. 33 c. 33 t.

XCV.

Beatissime in christo pater et domine, domine clementissime. Post commendationem debitam. In certis meis Regnique mei negotiis Venerabilem Andream Roza de Bornszewicze, Prepositum Lanticiensem, Consiliarium et Supremum Secretarium meum institui transmittendum ad Sanctitatem V. apud eamque super hiis que Regnum atque sanctam Orthodoxam fidem contingunt

perorandum meo nomine Supplicans quatinus eidem in omnibus meo nomine dicendis perorandisque plenissimam adhibere dignetur fidem, Non aliter quam presentialiter loquerer coram eadem S. V. Cui prestet Altissimus sanitatem atque tempora felicissimis feliciora diu, prout optat, Vestro augmento boni communis iamdicte fidei et consolatione mea. Date Cracowye die Octava Mensis Octobris Anno domini Millesimo Quadringentesimo Octogesimo Septimo

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius Kazimirus

Polonie Rex.

(*A tergo*). Sanctissimo in christo patri et domino, domino Innocencio divina Providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici domino clementissimo.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Atti e Bolle della Curia Romana. Busta 28. Polonia 6.

XCVI.

Beatissime in christo pater et domine domine clementissime Ex litteris Venerabilis Andree Roza, Prepositi Lanciciensis, Consiliarii et supremi Secretarii atque Oratoris mei ad S. Vestram destinati certo intellexi vestre S. in me Natosque et Regnum meum favorem et gratiam. Nunc presertim in Illustrissimo Nato meo Frederico singulariter exhibitam, quem ut ex eo ipso Oratore accipio ad Cracoviensem Ecclesiam in Regno meo ex morte Antistitis vacantem motu proprio pronunciare dignata est. Pro quo omni decencia devocioneque filiali votis eiusdem S. vestre sic parere et eum me exhibere studebo, quod intelliget S. vestra nihil a me in eam eiusque sedem sanctam unquam neglectum esse, quod ad christianum et Sancte Sedi semper devotum Principem pertinere debeat. Credens indubie atque in primis confidens, quod sicut in eo Nato meo favorem tam exuberantem exhibere dignata est, sic etiam pro meo Regni et Subditorum meorum ornamento alciori cum dignitate insignire dignabitur. Quemadmodum de hoc ipse Orator meus

Roza perorabit Sanctitati vestre meo nomine, cui credencie fidem S. vestra prebere dignetur perinde, ut egomet presentissimus loquerer ad S. Vestram: Quam cupio fieri incolumem et prosperari pro tocius orthodoxe fidei conservatione et augmento. Date Sandomirie Vigesima Sexta Mensis Iuly Anno domini Millesimo quadringentesimo Octogesimo octavo

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Humilis filius Kazimirus

Rex Polonie.

(*A tergo*). Sanctissimo in christo patri et domino, domino Innocencio divina providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici domino clementissimo.

(*Archivio di Stato Venezia*).
Atti e Bolle della Curia Romana. Busta 28. Polonia 7.

XCVII.

Beatissime in christo pater et Domine, domine Clementissime. Post humilem mei commendationem. Si quando votis Vestre Beatitudinis placendum digne censendum sit, tunc maxime cum eam non modo in meorum dominiorum universeque Reipublice christiane a perfidis eius hostibus tuicione, sed et domus mee ac familie honorande attollendeque plurimum benivolam et favorabilem tam ex brevibus eius litteris, quam meis Oratoribus satis plane intellexi, quod in magnam michi cedit consolacionem cogetque me dum ea ut sum certissimus prosequi dignabitur generose, talem plus solito Vestre beatitudini et sacrosancte apostolice sedi exhibere, ut intelligat eam benemerito et grato impendisse. Que eciam de Ecclesia Varmiensi cum eam vaccare contingeret eisdem litteris brevibus dignata fuit me efficere cerciorem, quod in eius provisione pacis et status meorum illustrisque nati mei domini Friderici electi Cracoviensis optimam habere racionem videatur, quam obnixe precor dignetur eam ipsam Ecclesiam modo vacantem eidem nato meo domino Friderico in perpetuam administracionem conferre generose, non modo pro sui status condicionis Regie sustentatione ipsiusque

ecclesie conservatione et comodo, Verum omni meorum dominorum quietatione et pace, que ex ipsa Varmiensi Ecclesia propter eius castra et oppida munitissima totaliter dependent, ut tanto expedicius tantoque liberius nacta quiete domestica valeam prosequi ceptam tuicionem Reipublice christiane, quod primum cedet in decus maximum Vestre Beatitudinis et Ecclesie sancte meumque solacium non mediocre, de quo Orator meus et Secretarius Venerabilis Iohannes Brandis paucis ante diebus ad Vestram Beatitudinem destinatus clarius eam informabit. Quam Omnipotens deus pro regimine et ornamento Ecclesie sue sancte diu incolumem et felicem conservare dignetur meaque singulari consolacione. Datum Cracovie secunda Mensis Marcii Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo nono.

Eiusdem Beatitudinis Vestre

Humilis filius Kazimirus

Polonie Rex.

(*A tergo*). Sanctissime in christo patri et domino, domino Innocencio Divina providencia Sacrosancte Romane et universalis Ecclesie Summo pontifici domino clementissimo.

(*Archivio di Stato in Venezia*).
Bolle ed Atti della Curia Romana. Busta 28. Polonia 8.

XCVIII.

Beatissime pater et Domine, domine Clementissime. Non mediocri dolore affectus ob injiuriam michi Regnoque meo a Sanctitate vestra illatam scribendo Sanctitati Vestre brevior sum. Frequencius magnas Sanctitati vestre agebam gratias, quod Sanctitas vestra litteris suis verbisque, per Oratores meos a Sanctitate Vestra redeuntes, michi relatis, filio meo domino Friderico de Ecclesia Varmiensi spem bonam pollicebatur, quod eciam intelligentes, Serenissimi domini Imperator Romanorum et Boemie Reges, Consanguinei mei laudarunt, litterisque suis Sanctitati vestre ipsam causam commendarunt animadvertentes id non parum utile esse Reipublice christiane Iurique meo conveniens et aequm, prout orator meus aput Sanctitatem vestram et in ea

re in alijsque constitutus exposuit, id tamen michi minime profuit. Sanctitas enim vestra inimicorum meorum persuasione permota Regnum meum ledere bellumque cruentum concitare rebus christianis in eo statu in quo nunc sunt constitutis rectum et iustum existimavit, quod si bene actum sit, exitus rerum declarabit. Interea eciam intellexi quomodo Sanctitas vestra Woyevodam Moldawie omagialem meum, Regnique mei, in tuicionem Regi Hungarie commendaverit illum a me Regnoque meo removendo in meum Regnique mei grave preiudicium, cum Regeque Hungarie ex hac re, loco pacis fomitem belli cruenti iniciens, presertim hoc tempore dum tres Imperatores Tartarorum cum maximis eorum copijs in confinibus Regni mei, orisque Moldavie contiguis, castrametati sunt, qui Regnum meum iam in parte vastarunt, ad resistendum quibus, cum apparatu bellico, Illustrem filium meum dominum Albertum misi, in hocque auxilium, michi, Regnoque, ut ab omagiali debitum Woiewode Moldavie invocavi, quomodo autem illud sperare debeo postquam illum Sanctitas vestra alteri comendaverit et addixerit. Fama eciam percrebruit, quomodo Nuntij ducis Moschorum, qui pro diademate Regio apud Sanctitatem vestram agebant se iactitant, idque palam cunctis esse cupiunt, seque in hospiciis Regis Russie nuntios titulant.. Si ita est, quod Sanctitas vestra dignitate Regali ipsum ducem donaverit, vel eciam promiserit, nescio que racio laudare id posset cum venia autem loquendo non posset Sedes apostolica in Religione catholica maiorem errorem facere, de quo ad presens subticeo. Intelligo ego bene alijsque principibus Regionum istarum perspectum est, quid inde periculi quive tumultus que bellici inter principes inferantur. Et que tunc defensio Reipublice christiane speranda. Scribit michi interea Sanctitas vestra in hiis que ad defensionem christianam ex Turco, quam Sanctitas vestra pro salute paceque christiana tenet. Spectant, ut nuncios meos in urbem mitterem ad consultandum cum Nunciis aliorum Regum et principum. Beatissime pater equm est, ut primum rebus propriis quisque consulat et opituletur, quam ad alia se conferat. Regnum meum ita per Sanctitatem vestram lesum et turbatum oportet, ut primum statui suo ita perturbato consulat. Institui itaque pro-

pterea Convencionem generalem omnibus principibus Consiliariis, Baronibusque Regni mei pro festo Sancti Petri ad vincula proximo in qua curabo una cum illis intelligere, quid sit, quod Sanctitas vestra suam benignitatem a me Regnoque meo ammovet, et prout descripsi, quid cause sit, cur me, Regnumque meum bellis implicare velit. Ex qua Convencione notabiles Nuncios ad Sanctitatem vestram mittere institui, qui Sanctitati vestre singula planius exponent' tractabuntque. Rogo tamen dignetur Sanctitatem vestram erga me Regnumque benignius se habere, ut mei Oratores, qui ad Sanctitatem Vestram mittendi sunt, priusquam cum Sanctitate Vestra de rebus per Sanctitatem vestram pro salute christiana agendis consultationem actionemque aliquam ineant, intelligant a Sanctitate vestra graciorem animum. Et presertim in Episcopatu Warmiensi ad filium meum benignitatem animi, convertat, sibique gratiose provideat, quia id propter certas et iustas causas moram non patitur. Non movet me etenim utilitas filij ex ecclesia consequenda, sed michi cure est pax dominiorum meorum hoc tempore dum adversus paganos bellum gero. Tandem Sanctitatem vestram opto valere feliciter. Ex Cracovia vigesima sexta die mensis Iulij Anno domini Millesimo quadringentesimo octogesimo nono.

Eiusdem Sanctitatis Vestre
devotus filius Kazimirus
Rex Polonie.

(*A tergo*). Sanctissimo in christo patri et Domino, domino Innocencio, divina providencia Sacrosancte Romane et Universalis Ecclesie Summo pontifici domino colendissimo.

(*Archivio di Stato Venezia*).
Bolle ed Atti della Curia Romana. Busta 28. Polonia 9.

XCIX.

Beatissime in Christo pater et domine clementissime. In certis Reipublice christiane meisque et dominiorum meorum negociis dirigo impresenciarum ad S. V. Reverendum in christo patrem dominum Andream Rozam Archiepiscopum Leomonien-

sem et Coadiutorem Leopoliensem Et Magnificum Ambrosium Pampowsky Castellanum Rosperiensem et Capitaneum Gneznensem Oratores meos exibitores presentium sincere dilectos de intencione mea plene informatos. Orando S. Vestram quatinus in omnibus que apud eam meo nomine peroraverint Jidem ipsis creditivam prebere dignetur. Non minori, quam michi ipsi coram loquenti. Cui prestet deus sanitatem diuturnam pro votis. Date in Conventione Radomiensi Penultima die Mensis Septembris Anno domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

E. S. V.

Devotus filius Kazimirus
Polonie Rex.

(*A tergo*). Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Innocencio Divina providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici domino clementissimo.

(*Archivio di Stato Venezia*).
Bolle ed Atti della Curia Romana. Busta 28. Polonia 10.